


IN
AVLI PERSI
POETARVM
DOCTISSIMI
OBSCVRISSIMI
SATYRAS

PARAPHRASIS
SCHOLASTICA NOVA,

Qua retentis ac infertis Poëtæ verbis auctor
difficillimus mirâ luce, ac brevitate plenissimè
explicatur.

EILHARDI LVBINI.

*Antonius da
monate*



AMSTELREDAMI,
Apud Zachariam Heyns Bibliopolam,

CIO. IO. XCV.

I N
A V L I P E R S I
P O E T A R V M
D O C T I S S I M I
O B S C V R I S S I M I
S A T Y R A S

P A R A P H R A S I S
S C H O L A S T I C A N O V A,

Qua retentis ac insertis Poëtæ verbis auctor
difficillimus mirâ luce, ac brevitate plenissimè
explicatur.

E I L H A R D I L V B I N I.

*Authoris da-
monati.*



A M S T E L R E D A M I,
Apud Zachariam Heyns Bibliopolam.

CIO. IO. XCV.



SVMMAE SPEI, EXIMIAE

indolis ac doctrinae adolescentibus. UDAL-
RICO, & DAVIDI CHYTRAEIS
fratribus germanis, lectissimis, politissimis

DAVIDIS CHYTRÆI

SS. Theol. D. & Professoris Academiae Rosto-
chiensis primarii, de Ecclesia Dei, & Repub.
litterariae praeclarissime meriti, ac me-
rentis filii carissimae Salutem.

*delecta cui
in laude Ec-
clia Som-
ni's sint prob-
ta.*

VICUNQUE, fratres poli-
tissimi, hâc tempestate in
clarissimorum auctorum,
Oratorum, & Poëtarû mo-
numentis, vel explicandis, vel restitu-
endis praeclaram operam collocârunt;
illud omnes mihi polliciti imprimis
videntur, quòd doctrinae, ingenii, &

judicii sui sagacitate nova quædam, nec cuivis antè cognita, & perspecta inde eruerint, & in lucem primi protulerint. Quod ipsum ecquid ego etiam in hæc meâ ad Persium Paraphrasi de me polliceri possim equidem incertus sum. Certissimus interea, nihilq; dubitans non defuturos, qui mirabundi dicam, an indignabundi: Nam quis ille terre filius, & Gigantum fraterculus.

Ense levis nudo, parmâq; inglorius albâ;
qui quidem nescio quâ temerariâ audaciâ aliquid tentare aufit, post magnû illum Frischlinum?

O quantos doctis risusq; jocosq; daturus!

Illis brevib. respõsum dabo, simulq; consilium meum aperiâ. Ad Frischlinum quidem quâ tum attinet, quem illi magnum appellant, ego maximum vocare nihil verebor: Nimirum quem Europa, pænè majus quid dixissem,

(rim.

—(*ringantur Galli, Hispaniq; Italiq;*)
Genio, & ingenio sine pari habuisset, si quod Fabius de Nasone pronunciavit, suo ingenio moderari, quàm indulgere, & ignoscant mihi manes tanti viri, illo uti, quàm abuti interdû maluisset. Qui ut in salutem litterarum natus, ita earundem fato extinctus ex merito videri potest. Ille ut de multis aliis Poëtis, ita de hoc quoq; præclarissimè meritis est, quippe, quem Paraphrasi eruditissimâ Orator præstantissimus explicavit. Quo in genere quisquis in Persio post illum aliquid tentârit: næ ille Penelopes telam retexere, aut actum agere ex merito censerî poterit. Verùm longè alia mea mens, longè aliud mihi consilium. Nam & hoc veniâ tanti viri liquidò adfirmare nihil verear, quod in titulo pollicetur, fore, ut Paraphrasis sua commentarii vice sit, id vix, & ne vix

quidem præstitum, Ut en. taceam alios complures illud me admonuisse; ejus rei ipse ego mihi ipsi testis sum longè locupletissimus; qui cum semper summo hujus Poetæ obscurissimi familiarius cognoscèdi desiderio detētus sim, mira olim aviditate ad hujus Paraphraseos lectionem ferebar; & Satyrarum quidem argumenta, dispositionem, & alia præclara multa lubens ipsi accepta refero: At dum abditos Poetæ sensus, profundas sententias, reconditas figuras, loquendi genus pressum, & inusitatum, historias, & fabulas mirâ brevitate, & ingeniosâ obscuritate latentes, locos plerosq; Delio natatore indigos, & illa denique quæ explicare diligentissimi Grammatici, & exacti commentatoris erant, nec Frischlinus explicare in sua Paraphrasi sibi proposuerat, inde mihi illustrari aveo, nō sine meo mor-

su de.

su destituor: nimirum unde, quod in hoc Labyrintho Ariadnes filum anxie speravi, frustra speravi, & desertus, ac incertus æque ferè ac dudū in tenebris relinquor. Infinitos enim ferè locos demonstrare promptum mihi erat, quos ille ne leviter quidem, quosdā etiam quos minus rectè attigit; quod illi quicumq; hanc meam cum illius contulerit perspicuum erit. Nec in veteribus commentatoribus, qui quidem complures multum mihi præsidii; quorum non nulli, dum huic vati lucem volunt, tenebras induxerunt. Quare ad doctiores me convertō, & Adrianum Turnebū, Iustum Lipsium, Iosephum Scaligerū, & alios, nostræ ætatis miracula, & oracula consulo: & meâ porrò diligentia in nō paucis locis adjutus, id quod tanto tempore secutus sum, adsecutus mihi spero. Hoc ergo heic mihi propositū,

& in hoc nomen meum profiteor, ut hic Poeta præstantissimus, exactissimæ doctrinæ, & pænè ad reprehensionem eruditæ, ab omnibus, si fieri possit, etiam ab illis, qui primulum Latinæ linguæ rudimenta didicerût planè, & plenè intelligatur; & hæc mea Paraphrasis quantum fieri pote, omnium ferè commentariorum vice foret. Quo nomine, & studio verba Poetæ etiam nisi fallor omnium primus profæ inserui; quod ut vel maximè quibusdam ridiculum, & absurdum, quibusdam etiam indecorum videbitur; ego tamen haud scio an ulla expeditior, & compendiosior ratio sit illos Poetas, qui ut cum Satyrico loquar

— breves esse laborant,

Obscuri fiunt.

explicandi. Quanti autem illud sit, non dico artis, & ingenii, quæ in me nulla

fate-

fateor, studii dico, & laboris, haud facile existimare fas in experto. Quod si quis intereà, dum non solum Grammaticum, sed quantum illud quidem à me pote, & materia proposita patitur, Ethicum etiam agere, & omnia verba, & res explicare sedulò enitor, & forsitan in *ταυτολογίας*, aut verbositatis saltem vitium incurro; de prolixitate Periodorum, (quod in hoc meo instituto mihi defugere nefas) conqueratur; Poetæ verba inserta, & alio litterarum genere expressa prius tantùm inspiciat, & integras Periodos sæpè quinq;, aut sex verbis comprehensas inveniet, & hujus vitii remediũ habebit. Ecquid autem id quod volui consecutus sim, doctiores judicabunt: quos obnixè oratos volo, ut meminerint, me illud præstitisse, quod potui, & voluisse quod illi poterant; & præsto mihi sint adversus illos,

qui hæc tanquam levia contemnēt, & ut cum Lucretio loquar: Intellecta priusquam sint, neglecta relinquent; cum tamen ipsi meliora non proferant. Vobis autem, fratres lectissimi, adolefcentes politissimi, cur hæc mea qualiacunque inscribere visum sit, una mihi ratio, & quæ multarum, imò omnium vice esse poterat. Quæ enim, & quanta parens ille vester præceptor, & patronus meus perpetuo honore, & amore æternum mihi colendus, de Repub. litterariâ tam præclarissimè meritis, mihi præstiterit, ingratus sim si non recorder, malus, & odio dignus, si non quacunque ratione, si non quâ volo, ac debeo, saltem quâ possum, & si non in ipso, saltem in vobis, qui ex ipso, compensare studeam. Quibus in Virtutis, & Sapientiæ studiis institutis, instituendis, quid prius, & amplius hæc quidem

dem ætate Persio, & illis adeò Poetis, quibus non solum os, & lingua, sed pectus etiam, & mores poliuntur. Accipite ergo hoc quaecunque est, fratres lectissimi, filii dulcissimi magni parentis; qui quantum suo adventu, sua præsentia fulgoris, ac lucis Rosarum Academiæ intulit, tantum abitu suo, cujus dies sera, & tarda sit, tenebrarum, ac caliginis illi inducet. O diu ille indelibatus Rosarum flos vireat, & vigeat, ille clarissimæ Academiæ Sol fulgeat, & luceat, in salutem Ecclesiæ DEI, Reip. litterariæ, & omnium adeò bonorum! Ac tandem illum SOL ILLE IUSTITIÆ æternæ vitæ immarcessibili coronâ, flore, ac luce donet, atque beet. Vos autem, ô filii, ô fratres, hunc tantum parentem imitandum vobis proponite, vestigiis ejus insistite, doctrinam & virtutem (amplius quid vos monere nefas

EPISTOLA

nefas mihi) æmulemini, & omnium
desiderio, & expectationi de vobis a-
bundè satisfeceritis.

Valete etiam atq; etiam. Argen-
tinæ. Anno 94.

V. Studiosissimus

M. Esbardus Lubinus,

A D PERSIVM
REDIVIVUM
EPIGRAMMA.

IOH. IACOBI BREITINGERI,
Figurini.

Floruit Aonidum satyris quod gloria quondam,
PERSIVS ingenii tunc erat omne tui.
At prius obscuræ fuerant sub imagine nubis
Quæ satyræ, & grandes sub brevitate tamen.
Quod modò jucundæ veniunt sub imagine lucis,
Major. & est, priscis quàm fuit antè, nitor.
Persius & solito repetit quod sidera passu,
Persius exemplis fluctibus exilii.
Omne Lubine tui, Persi redire ve, laboris,
Se debent, satyræ, Persius ipse, tibi.
Perge, serum surget nunquam visura sepulchrum
Fama Lubine tibi, fama perennis erit.

Feci Franckær Frisiorum, anno epochæ
Christ. 1595.

ORNATISSIMO ET
LONGE DOCTISSIMO VI
RO M. EILHARDO LUBINO
IA. HER. ALSVELDIUS. S.

Ellharde spes, & cura Heliconidum
Cui Suada succis, os rigat Atticis
Quem Phœbus, & dulces Camœna
Castaliis aluère lymphis.

Si prisca veri carmina quid canunt,
Si non & ipsis nomina cum rogis
Evanida ibunt; æ viternum
Nomina fama vehet Lubini.

Quid? tene Lethes mergier in vadis
Sinent? ab ipsis qui revocas vadis
Lethes, sepultum fermè vatum
Egregium in Satyris acumen.

Te, qui latebat squallidus ab situ
Cultore, rursus Persius ambulat
Superbus, ostentatq; vires
Ingenii, & genii Lubini.

Rursus

Rursus latinis qui fuit urbibus
Tot exul annis, in patria redux
Sublimis Eilhardi labore &
Auspiciis Iuvenalis audit.
Te nec Pacuvi, priscave Mævii
Nec verba Plauti, nec Senecæ latent,
Vis ingeni, spirat tui omnes
Per Criticos animosa libros.
Dum nomen ergo postera Persii
Ætas Nepotum ad sydera laudibus
Feret, ferent unà Lubinum,
Cujus ope è tenebris coruscæ
Est restitutus Persius integer
Luci, & cuivis jam facilis satis
Intelligi ut possit, prius quæ
Vix fuerat benè notus ulli.



IN PROLOGVM PERSI
PARAPHRASIS.

Paraphraſtes ad Lectorem.

*Exiguo quamvis nihil hoc obſcurius olim,
Iam obſcuro quamvis quid pote lucidius?
Eximium, exiguum quamvis, ne ſperniſto vatem:
Tu quoque que fugias, quaſq; ſequare docet.*

NTANE verò ego ſolus inglorius, atque ignobilis ætatem egero, & deſidiâ, atque ignaviâ bonû otium contrivero? Nunquàmne his tenebris aliquando caput exſeruero, méque ab illis, quorum vita, ac mors juxta æſtimanda, vindicavero? Quouſque autem tandem ego per ignaviã vitam tranſigam; ceterùm ingenium, quo nihil amplius eſt in naturâ mortalium, in cultu, atque ſocordiâ torpeſcere ſinam? Idque eo impendio magis quod tam multę artes paſſim, quibus de Rep. optimè mereri, ſuiq; memoriã maximè longã efficere pròtum eſt: Et paſſim videã alios præclaro aliquo facinore, alios immortalium ſcriptorum & divinorum carminum mortuentis Reip. benè facere, benè dicere, ſibi que egregiam famã, ſummã claritudinem parare. Nimirum flagitioſã hæc mea ignavia & iners ille torpor tandem aliquando animo mihi excutiendus erit, & aliquid, qualecunque etiam illud futurum ſit, ſcribendum. Nam Deorum immortalium laudes & ſummorum heroum reſ geſtas, & ducum,

ac Imperatorum Ramanorum cruēta bella, & cetera de hoc genere ve grandia, ardua, sublimia, difficilima per scribere, & vivo, ac operoso carmine immortalitati cōsecrare meū nō fuerit. Nēpe dū laceratos, & humeros meos periclitor, & ingenii mei vires pondero, me ejusmodi oneri longē imparem, longē inferiore deprehendo; & nimirum illud cælum Heroicum, & Tragicū robustiora latera, firmiores humeros. invictos Hercules, validos Atlantas sibi querit, despicit, ac postulat. Vnde en. mihi illē ingenii & eloquentiæ vires ac nervi, quibus vel mediocris materię pro dignitate tractandę & exprimendę par sim? qui quidem omni nature, & Musarum ope destituit. Nō enim ego unquam, ut nunc multi, divino aliquo Deūm adflatu, aut repentino Poëtico furore correptus sum; *Nec* unquam, ut divinus ille arandi præceptor Aſcræus Poëta Hesiodus, cum paternas oves custodiēs à Musis coronaretur. ad montē Heliconam perductus aquam Pirenes, vel Hippocrenes fontis (quę equus alat⁹ Pegasus unguā saxū feriēs aperuit) bibi, & *caballino illo sante labra potado prolui*, & madeseci; et sic omnium artium, & disciplinarum fontes exhausti; *Nec*, ut alter ille Homerus, qui res patrum nostrorum egregiē gestas descripsit, Sapiens, & fortis Ennius, animam Homeri p̄r somnium in *Pernasso* Pythagoricā aliquā Metempsychosi recepit; ita ego quoque in eodem Phocidos monte *bicipiti*, duobus cacuminibus Nyſa, & Cyrrhā Baccho & Apollini sacris, insigni, me unquam *somniaſſe meminī*; ut sic tanquam potu, et somnio beatus, & cælesti aliquo numinis adflatu correptus insignis aliquis

quis vates, & *Poëta* ad carmen scribendum *repente prodirem*. Proinde Poëta cum non sim, grandia illa, & sublimia, quibus immortalitas, & omni ære perennius nomen, ac fama acquiritur nobilissimis illis oratoribus, & divinis vatibus delego: & Musas *Heliconidas* invocandas, & Pegasus illum in Acrocorintho fontem, *palsdamq;* illa *Peirenen*, ad quam nimmio carminum scribendorum studio se macerent, & pallorem contrahant, ad furorē usque perpetuandum, cum toto Helicone fummis *illis* & divinis poetis lubens cōcedo, & *relinquo*, qui non nisi Musarum, & Apollinis instinctu ad carmina fundenda feruntur; & ob ingenii monumenta immortalia lauro, quercu, & apio coronantur; & *quorum* denique *imagines*, & statua in æde Camenarū erectas *hederæ* errantes, & *sequaces* suis foliis *labunt*, & ambiunt. At mihi, qui humo serpo, & humiles Satyras, exigua Poëmata, imò vix Poëmatis loco digna, ludo, ambitiosā aliquā invocatione Musarum opem implorare, & Apollinem è Parnasso in auxilium sollicitare nihil opus est: Atque adeò ego *ipse* Persius *semipaganus*, rudis, & plebeius Poëta rude hoc, & plebeium *nostrum carmen ad sacra*, & immortalia nobilissimorum *vatum* monumenta in templum Apollinis Palatini, in quo Poëtarū carmina recunduntur *adfero*, meque aliis Poëtis, nescio quā audaciā penē paganus & profanus adjungo. Nimirum alii Poëtæ soli cœlestes, & divini: nempe quibus ille vatum pater, & Musarum dux Apollo solis nascentibus lætus adrisit; quos dīa illa Melpomene primulūm natos solos placido lumine respexit; & quibus adeò Musæ;

& Phœbus certatim entheo aliquo adflatu, & furore mentem imbuere dignantur. At neque hoc silētio mihi præterire fas, quod; si verum accuratius aliquantum excutias, & penitius quorūdam animos introspicere detur; deprehendas plerōsque, qui divinos illos adflatu, & Poëticos furores tam bellè, & accuratè simulant, non tam Poëtico furore, & insanīā, quàm rerum necessariarum penuriā, & egestate ad carmen condendum ferri, & agitari; & illud sibi laudi ducere, quod angustīā. & inopiā oppressi faciūt. Sanè nihil est, quod non improbus labor egestate, & fame extimulatus possit: Et qui vel brutis animalibus, & mutis piscibus humanas voces, & Cycneios cantus expresserit. Age enim, *quis Psittaco* humanæ vocis imitatori, illud *ἴψυμ χαίρει*, quo toties dominos compellant, & salutant *expedivit*, & articulatā voce pronunciare iussit? *Quis* autem *corvos* illos qui D. Augustum ex Actiacā victoriā redeuntem, & de Antonio devicto triumphantem compellārent, *salutare* illud *concaavum*, & velut è cavo specu. & recessu oris resonans, *olim* pronunciare iussit? *Et* quis denique garrulas istas *picas nostras* hominum *verba conari*, & humanas voces effingere *docuit*? Nōne stimulus illa, & jejuna fames quā agitati heros suos, & obvios quosque compellant, & salutant? *Quis* autem Poëtis illis nostris tumida illa, sublimia, & vegrādia carmina, quibus nobilium Romanorum patronorum suorum res gestas ad cœlum usque immeritis, & alienis laudibus extollūt, distitavit, extudit, & expressit? Nōne ille omnis *artis*, & scientiæ *magister*: nōne ille *ingenij*, & acumi-

acuminis summus opifex & largitor? nōne ille denique insanīæ, & furoris Poëtici accuratus, & insignis concinnator, jejunus, & famelicus, aut gulosus, & voluptarius *venter*? *Venter*, inquam, insignis ille, & incredibilis *artifex*, vel à naturā *negatas voces sequi*, & assequi; & quæ omnes artes perdocuit egestas, & inopia. Ac, me Dius Fidius, plerisque *venter*, non Apollo *magister* artis fuit, eosq; numeros funditare docuit. *Quod* si usu veniret, ut summis, ac præstātibus ingenij, quæ nunc passim in occulto latēt, non solum modica annona ad victum daretur; sed insuper liberale aliquod præmium, & pecuniæ honorarium proponeretur: atque adeo Poëtis nostris *dolosi*, ac funesti *nummi* (cujus sacra, & execrabilis fames mortales passim in omnia scelera, dolos, & fraudes præcipitat) *spes* aliqua *refulsoria*, suoque splendore illorum oculos perstrinxerit, animiq; cupidinem excitaverit: jam nō amplius *Poëtas* nostros bardos, ineptos, & inconcinnos, tanquam latrantes, & raucos *corvos*; ut loquaces, et garrulas *picas*, denique velut obstreperos, & molestos psittacos imperfectas voces exprimere, & inepta voce misera carmina, & cantus passim disperdere videas: Sed tot erunt extemplo boni, celebres, & illustres Poëtæ, quot hodie sunt inepti, elūbes, & plebeji: A deoque crocitatēs corvos jā dulciloquos Poëtās, & garrulas *picas*, jam sonoras, & argutas *Poëtidās* nectareum, & *Pegasium melos cantare*, & vividū, & excultū carnē ad ipsam Hippocrenē, & Pegasī fontē in mōte Helicone, ab ipsis novē Muffis, & Apolline elaboratū, & omnibus numeris absolutū funderē *credas*, & depromere,

IN SATYRAM I.

PARAPHRASIS.



Incredibilem, & inauditam hominum
dementia! ô vanas *hominum curas*, &
contentiones! ô studia mortalium in-
utilia pariter, & ridicula! ô pectora, ô
capita, corde pariter, & cerebro vactal

Quantis autem, & quàm densis errorum tenebris
mortalium mentes involutæ, & circumfusæ! *quan-
tum verò inane*, quanta vanitas, quanta cæcitas *estis
rebus* humanis! Adspice universos, considera singu-
los: Quotusquisque in tâto hominû numero inve-
nitur, qui se hominẽ ratione præditum perpêdat? qui
quid se homine dignum sit cõsideret: Qui adeò suę
vitę studiorûq; exactam rationem subductâ teneat,
ut verè vivere, et ratiõe uti meritò existimari possit?
Cujus vita, & studia, nõ adfectibus, sed ratione, non
opinione, sed veritate regatur? Nec rudes solû, & ign-
nari, ac ignavi habit; verum illi etiã, qui maximã in
vitã, & moribus, doctrinã, & studiis sui opinionem,
& expectationem concitârunt. Quid verbis opus?
Vani vana curant, & morantur. Vel Poëtas, & ora-
tores nostros, quibus passim ad ravim usque recita-
tibus, & declamãtibus quotidie occurritur; eorum-
que auditores, & adplausores age mihi considera.
Et heic rideas an indigneris? ex illis paucos videas
Reip. prodesse, mores emendare, vitam corrigere,
vitia damnare, ad virtutem viam sternere, ejusque
dignitatem, & majestatem ante oculos ponere; sed
plerosque ambitione, & vesanã glorię cupidine cor-
reptos,

reptos, nil nisi imperitę multitudinis vanã auram au-
cupare, eiq; verborum fumos vèdere; ac eò tâtum in
scribendo ferri, ut spretâ rei utilitate & veritate, præ-
ter populi favorem, & vulgi adplausum suis scripti-
onibus, & declamationib. nihil prorsus quærissent.
Porro auditorum, & vulgi tanta levitas, populi Ro-
mani tanta vanitas, ut in aliorû scriptis, & dictis exa-
minandis, præter concinnû verborum sonum, inanẽ
delectationem, & nescio quę verborû lenocinia ni-
hil spectet; at causam ipsam, rei utilitatem & verita-
tem, cujus semper, & ubique imprimis habenda rati-
o, negligant, & fastidiant; vani vanis adplaudant, &
mutuum muli scabant. Quæ cum passim Romano
nomini turpia, & indigna non sine meo dolore, ac
morsu intuear; potestne fieri, ut hæc mordaci car-
mine non insecter; ut à Satyrã scribenda abstineam?
Ac quia non nisi mollia, jucunda, & lasciva Poëmata
scribuntur, audiuntur, expetuntur; sine dubio ex
nobilium grege, & mollibus illis, & delicatis audi-
toribus, cujus molles, ac teneræ auriculæ hãc meã
Satyricã acrimoniã, & versuum mordacitate, (quæ
hãudquaquam, ut plerorumque, ad ostentationem;
& inanem pompam, sed ad vitæ humanæ utilitatem
spectat, & comparata est) offenduntur: heic mihi ob-
strepet, & dicet: Nam quid sibi vult, ô Persi, hæc
Tragica tua, & prodigiosa exclamatio? Quorsum
autẽ, & cunam tu hæc tam ingrata cõmemoras? Et
quis hæc verba tua adeò morosa, adeò mordacia cẽ-
suræ, & supercilli plena *leger*; imò quis vel inspicere
dignabitur? Nemo fanè adeò bardus; & stupidus
futurus, qui ex hãc tuã mordacitate voluptatem ul-

lam capiat. Nimirum illa, ut sunt, vana, & inania
 iudicata, projecta, & neglecta, in nullo honore,
 & pretio habebuntur. Age verò, ô accurate ad-
 monitor: *Mibine Persio tu istud ais*, hæc mea,
 tanquam acerbiora, in nullo precio habitum iri?
 Itane verò nobiles, & vulgus Romanorum mea
 carmina despiciet, & contemnet? Ita futurum
 me *hercule*, ô Persi, inquiet; *Nemo* tua scripta ma-
 gnopere curabit. Quis enim Satyricam hæc tuam
 acrimoniam, & acerbiteriam æquo animo tulerit;
 & legere sustinuerit? Et quis non ab aliis jucundis-
 simas Poëtarū fabellas, & carmina amatoria, quàm
 à te maledicta, ac vituperia audire malit? Ergone, ô
 monitor, *nemo* mea scripta leget? & cùm alii ore
 vulgi ad cælum usque laudibus attollantur; sola mea
 Muia spreta, & contempta in obscuro latebit? Omnia
 solius miseram pariter, & iniquam conditionem!
 Ita fiet, respondebit, ô Persi, ut vel maximè id ipsum
 demireris, & indigneris. Aut si multi tua hæc inspi-
 cere, & legere dignabuntur: unus fortasse illud faci-
 et, *vel* ad summum *duo*, *vel* quod jam antè tibi præ-
 dixi, & mihi magis verisimile, omnino *nemo*. Itane
 autem ô monitor, mea solius carmina populo Ro-
 mano in nullo numero. & precio futura? qui cùm
 quotidie tot inanes fabulas, tot pernitiōsa carmina
 audiat, mea scripta ad vitam, studia, & mores secun-
 dum honestatem, & virtutem instituendos compa-
 rata, contemnet. Hoc verò, si quidquã aliud, quàm
turpe, & miserabile sit, quis tam cæcus, & amens,
 qui non videat, & intelligat: quis tam malus, & in-
 justus, qui non mecum doleat, ac deploret? At si quis

ex

ex me quærat, *quare* hoc ipsum turpe dicam & mi-
 serabile tantoque opere indigner; & mea carmina à
 Populo Romano flocci fieri, & alto supercilio despi-
 ci, tam graviter, & iniquo animo feram. Non, me
 Hercule, eo nomine, quod tanquam fortissimus
 ille Hector, ut est apud Hom. Iliad. 22. cùm secum
 deliberaret, cōgredereturne cum Achille; & ni id fa-
 ceret, ne parum fortis, & animosus haberetur, & ne
Pulydamas mulieres ipsum reprehenderet, & timore
 revocatum censerent, sollicitè timeret: ita ego quoque
 ex ambitione, & laudis vanâ cupidine magnopere
 verear, *ne* accuratissimus ille Poëta, & carminū cen-
 sor Nero, & reliquū Rom. vulgus Accium *Labeonē*
 Poëtā illum bardū, & ineptū, qui Iliada Hom. verbū
 è verbo versib. scēdisimè transtulit; *mibi præalerint*,
 & suo iudicio ante posuerim. Sanè ego vulgi, laudis,
 ac popularis auræ non usque; eo sum cupidus, non us-
 que adeò avidus, ut illam Labeoni, aut reliquis sui
 similibus præreptā velim, aut invidiam. *Nuga* enim
 illa vulgi, & imperitorum iudicia. Neque enim viro
 gravi & sapiētī imperitæ multitudine, & populi ju-
 dicio standū est: immò quod optimus, & sapientis-
 simus quisque, semper contemnendū iudicavit: Quod
 profectò mari, & ventis non absimile; imò quolibet
 vento, qualibet aurâ mobilius, & incertius, parvulo
 momento huc illuc impellitur. Nimirum populus
 multorum capitum bellua; qui ex veritate pauca, ex
 opinione multa æstimat; nec ratione sed adfectibus
 agitur; adeoque cuius oculi, & aures mali testes: Et
 cuius quidem ego de me sermones, & iudicia nihil

A v

magis moror, quàm ventre redditos crepitus: Vt enim mea nihil refert, sursumne hi an deorsum sonēt: Ita ille laudētne me an vituperet. Nam *si Roma* quoque *surbida*, & parum puri sensus, ac iudicii, & indoctum, ac imperitum nobilium vulgus *aliquid eleuet*, contemnat, & extenuet; aut contrà prædicet, & laudibus extollat: *non* tu statim ejus sententiæ accedas, & adfentiaris, inque ejus opinionem pedibus descendas: Sed ipsam rationem, & veritatem, & sapientum, ac rectè sentientium, & judicantium mentem consule; *Vel* omnem falsam, & iniquam vulgi de te opinionem, & iudicium, tanquam *improbum* aliquod *examen*, in ipsa tui ipsius exacti, & limati iudicii *trutina*, veluti lingulâ in medietate libræ, *castiges*, examines, & emendes: *Nec te*, & tua dicta, scripta, facta, & quid de illis sentiendum sit, *exirate*, in aliis, in famâ, sermone, & opinione vulgi de te, *quasi veris*, & mensus fueris: Sed tuum animum, & te ipsum adeò de te consulueris, & tuâ ipsius rectâ de te conscientia, & vero iudicio adque veris: famam autem, & vulgi dete iudicium excelso animo spreveris, & contemseris. Sanè ego, ut me populus, & turba admiretur, non usque adeò sollicitus sum, ac laboro; paucis lectoribus contentus; Immo satis est uas, satis est nullus. Hoc unicum turpe pariter, & miserabile dico, & ex animo doleo, & deploro, quòd Romæ tam flagitiosè, & perditè passim vivitur; nec in nostri evi scriptoribus, ut populus de lato isto vitiorum devio in viam virtutis revocetur, quidquâ perfidii est; qui non nisi ingenii famam stultè ambiunt, & eruditionis, ac varæ eloquentiæ nomen inceptè

captant;

captant; nec ad veram virtutis laudem viam grassantur: Vt una cum virtute honesta etiam studia omnino profligata sint. *Nam quis non* hodiè Romæ turpiter, & flagitiosè vivit? *Quis non* jam Romæ lasciva pariter, & vana suis studiis meditaturo? *Quis* autem hoc meum scribendi genus sibi malè concius non odit, detestatur, & averfatur? *Quis* jam non Romæ? Sed sit, reprimo me. *Ab si* modo *fas*, ac licitum esset Romanorum malitiam & vanitatem notare? Ah si mihi illa impunè *dicere*, & oratione, ac verbis exprimere liceret, quæ alii impunè faciunt, & vitâ, ac moribus exprimere non erubescunt. Sed nimirum ætas hæc mea incusatur, quæ nondum ea scilicet est, quæ in aliorum, & fortè ætate provectorum vitam, & mores inquirere debeat. Nempe ista impunè dicere & proloqui *tunc* demum mihi *fas* erit, ubi mores adolescentiæ leviores, cum gravi aliquâ senectute permuttero; *cum* ad severiorem senum vitam, & prudentem illam *cautivam*, & nostrum illud seniorum *vivere* tetricum, *triste*, censorium, & severum *respexis*; & quæ ætate omnia, & *quacumque* facimus cū singulari iudicio, accuratâ gravitate, & auctoritate; adeòq; eiectionis ex animo omnibus pueritiæ adfectibus, & juventutis cupiditatibus exutis, & *nucibus*, quod ajunt, *relictis*: *Cum* paternos, qui fratrum filios severè tractant, accuratos virtutum magistros, & graves, ac exactos morum cælores *sapimus*, & præstamus: *tunc* demum *fas* erit, *tunc* liberum & integrum erit, de aliorum, & juniorum vitia, & studiis censuram agere, & liberè vitia insectari. Itane verò senium mihi expectandum erit, & quid verum, rectum, utile, & honestum non

nisi

nisi cani me docebunt? Quasi verò inaudita illa vestra malitia, & incredibilis stultitia, & vanitas vel peris non possit esse notissima. Vos autem qui hanc ætatem mihi exprobratis, quæso veniam mihi date, & *ignoscite*, si vel hæc ætate vestram vanitatem omnibus deridenam propino, & senilem ætatem, auctoritatem, & gravitatem expectare *nolo*. Agite enim *quid faciam?* quo modo me continebo, & quibus rationibus à Satyris scribundis abstinebo, si Romanorum ridiculas vanitates, & ineptias intuitus à risu nullo modo temperare possum: quippe qui aliàs à naturâ in immoderatum risum largior, pronior ac profusior *cachinno sibi* & derisor *splene* planè incōtinēti, luxurioso, & *petulanti*. Principiò igitur agite cōsideremus accuratiùs aliquantò Roman. nostros principes, & nobiles qui egregii Poëtæ, summi oratores dici, ac videri summopere expetunt. Nimirum nos Romani principes, & nobiles profrâ, & vorfrâ faciendi passim ingenii nervos exercemus; & in secessu, ac otio domi nostris Museiis, integros dies *inclusi*, atque abditi, *ille* quidem Poëta versus, & *numeros*; hic verò orator *pedeliber*, & solutus, & nullâ versuum, & numerorum lege adstrictus, nescio quam grandiloquentiam adfectamus, & *scribimus vægrandæ*, tumidum, inflatum, & admirabile *aliquid*, quod non nisi magnâ vocis contētione, non sinè gravi, ac vehementi spiritu, & summis laterum viribus recitetur; & quod *pulmo anima*, & spiritus plenus, distentus, & *prælargus anhelet*, & summâ defatigatione pronunciet. Et ad Poëtâs quidem quantum spectat. mirum quantâ arte, solertiâ, ac industria præclaram de se opinionem

in vul-

in vulgo, & populo excitare studeant. Sanè nobilis aliquis Poëta Romanus, ubi nescio quæ tumida, & inflata numerosè, & ambitiosè effinxit, nō illa quovis tempore, loco, habitu. aut quibusvis recitat: Sed *hæc scilicet* tam grandia, & sublimia carmina non sine ingēti apparatu, & splēdidissimo ornato cum magnâ sui admiratione omnium ora, oculosque in se convertens recitabit, & lotus, unctus *pexisq̄, ac recentis*, ac nitidâ *rogâ* vestitus, *est tandem cum anulo, & natalitiâ Sardonyche* gemmâ primariâ, quâ aliàs tantum die natali utitur fulgens, & tanquam festo die in candidâ veste *albatas*, in *cellâ* ac sublimi *sedæ* constitutus populo Romano *leget: cum* nempe *liquido* aliquo portionis genere, unguento, & *plasmate*, *guttur* illud *mobile*, & in varias pronunciationes flexibile *colluevit*, & inunxerit, ac sibi vocem quantum fieri potest teneram, mollem, & effeminatam reddiderit, ut jam non carmina sua recitare, sed quasi suavissimè modulari, & cantillare videatur. Cui quò major addatur gratia, nefario insuper corporis gestu, & libidinoso habitu, & *ocello* nimis peto, lascivo, & *petulanti*, ac tanquam post Venereum opus molliter nantanti, trementi, & patranti, ac in omnes partes protervè circumlato solutus, & *fræctus*. Ferè enim fieri consuevit, ut quos orationis dignitas, ac majestas nihil adficit, ac commovet, illos vestium elegantia, & gestuum petulantia, & protervia in sui admirationem rapiat, & commoveat. Sanè *hic videas ingētes* illos, prægrandes, & nobilissimos *Titos*, à Tito Tatio Sabinorum rege nomen scilicet, familiam, & genus antiquissimum deducentes: Romane, in quâ, Reip. principes,

cipes, his tam lascivis carminibus, tā fractā, & effe-
minatā voce, tam nefario, & petulanti gestu recita-
tis, incensos, ac libidine instigatos, fatis turpiter, *ne-
que probo*, & honesto more, *neque voce* decorā, & *se-
renā* adplaudere, *trepidare*, Venere irritari, & lascivē,
ac libidinis suæ documēta dare, turpissimo corporis
motu, & voce parū honestā, ac virili, imō plus quā
effeminatā: *cum* nimirū nefariē & frædā ille recitā-
tis voces libidinem in illorum animis accēderint, &
libidinosā illa, & lasciva declamatoris *carmina libos*,
& intimos illos renū recessus *intran*, eosq; libidino-
so quodam nefandē veneris pruritu inflammant, at-
que adeo *abitremulo*, & lascivē, ac molliter saltante
versu intima illa, & secreta membrorum libidinis
scalpantur, excitantur, & incenduntur. Nec juniores
solum, sed vietī etiam, & veterinosi senes ex lascivā
hāc, & flagitiosā versuum recitatiōe populi, & nobi-
lium Romanorum adplausum sibi captant. O im-
mensam vanitatem! ō incredibilem impudentiam!
Sed heus tu stolide veterator, & delirum filicerniū,
quid tandem est, quod te senem huc impudentiæ,
& vanitatis impellat? Tūne etiam adhuc ō Acherō-
tie, & capuli decus, ex lascivorum carminum recita-
tione tibi laudem aucuparis, & venaris? Tūne senex
delire aliorum delicatas aures obscœnitatibus hinc
inde comparatis pascere studes? Tūne *vetule* turpis,
& ignave, *alienis* libidinosorum *auriculis escas*, & fo-
menta libidinis *colligis*? Alienis inquam auditorum
tuorum *auriculis*, quas lascivas, & spurcas, nō modō
impudico, & falaci carmine delinias ac & detineas;
sed apud quas etiam impudētiæ & vanitatis tuæ ho-

nellum nomen, & nescio quem prætextum queras;
& *quibus* hæc tua tam præclara facta, & studia in-
tus, & in *cute* quantus quantus *perditus* & deplora-
tus, excuses, & impudenter defendas, ac dicas: Ohe!
definite tandem nescio quod impudentiæ, & vani-
tatis vitium mihi objectare. Quid autem prodest te
aliquid scire, nisi te exercueris? Quorsum tibi artem
Poëticam tanto labore, tanto studio acquisivisse;
nisi aliquando doctrinæ tuæ specimen edideris? Et
quō denique, te multum *didicisse*, & animum variā
doctrinā informasse: *nisi* quæcunque animo jam du-
dum agitasti ingeniosa, ac iia, subtilia aliquando in
lucem proferas, & divulges? Nisi inquam, *hoc* do-
ctrinæ *fermētum*; quod te totum inficit, & turgidū,
ac inflatum reddit; *et caprificus* illa sterilis doctrinæ,
& nunquam maturi fructus, *qua* tam altē *intus* in a-
nimo tuo radices egit, & *semel innata est*; nunquam
inde evellenda, & extirpanda è commissuris cordis
eruperit, vetē *jecore* libidinis, & adfectuum domi-
cilio *rupto*, & diffusio *exierit*, & ex operto in apertum
lucemq; prodierit? & auditotibus tuis magnam uti-
litatem, & fructum, tibi verō laudem, & immortalē
gloriā adferat? At quæso te leviculę glorię stultissime,
& miserrime captator: aspice quæso annos, canos, &
rugas tuas: *En pallor, et senium* tuū filicerniū, & vetule
capularis: Tūne hac tāta ætate, quæ longē aliā vitam,
alios mores, alia studia postulat, nōdū rectiūs sapere:
et tātus senex, nōdū nuces relinquere, & te dignio-
ra meditari didicisti? Nihilne virium imbecillitas, ni-
hilne ætas grandior te ab hoc studio tam inutili, imō
tam pernicioso revocat, quin nulla vel valetudinis,

vel honestatis ratione habita, more lascivi & delicatij juvenis tibi ex re turpi, & obscenae carminibus vanam, & non te dignam gloriam captes? O tempora hujus sæculi perditæ, & deploratæ! *ô mores* perversos, & flagitiosos! Siccine verò nihil nisi ostentatio, & vana gloria scribenti tibi proposita? Itane verò ars, & doctrina tua vana, nihili, & nullius momenti tibi videtur, nisi illam apud alios jactes, & imperite multitudini ostentes? *Vsq; adeo*ne tuū illud scire, tua scientia, & eruditio inanis, & *nihil* existimāda est, nisi alter tuæ doctrine & scientiæ cōsciū sit, & *te hoc scire* sciat, nisi pluribus de ea conīter, & te illā ornatum, & præditum tuo ipsius indicio exploratū, cognitumq; habeat? Atq; adeo nescis te aliquid scire, nisi aliud te scire scierint? Nimirū non tibi sed aliis didicisti: nec ut tibi profis, sed ut te aliis ostentes. Quantò autem satius erat te ipsum tuorum rectè factorum, virtutis, & eruditionis conscientia adquiescere. aliorum autem de te, ac tuis judicium floccifacere, & contemnere? *At* dices mihi: Itane verò fama, & aliorum de me sermones, ac judicia mihi curanda non sunt? Quis autem adeo bardus, ac stupidus, qui aliorum de se sermonibus sive bonis, sive malis non commoveatur? Nōnne *pulcrum est*, & omni laude majus omniū ora in tuum os obverti? in populo & vulgo præclare audire? etiam ab ignobilibus agnosci? Et quem admodum Demosthenes cū pertransiret plateas à muliere aquam ferente digito monstrabatur, cū alteri vicinæ insuffraret: Hic est summus ille orator Demosthenes: Sic etiam prætereuntium *digitomonstrari*, & *dicier*, *Hic est* celeberrimus ille, & divinus

Poëta, qui nuper tam doctum, & egregium Poëma recitavit. Et quidni tantę multitudinis de te judicio, & testimonio exultes, ac triumphes? A deone verò vile est à populo Romano laudari? *Itane* autem *te pro nihilo ducas*, & Poëtam nullius momenti. & nominis existimes, cū videas te in tāto numero apud populum Romanū, & precio; & carmina tua passim in Scholis à Pædagogis, discipulis ediscenda esse proposita, & à ludorum magistris *centum* scholasticorū nobilium *cirratorum*, & discipulorum calamistratorum, in tonsosq; capillos habentium *dictata fuisse*? Siccine verò barde, & insane Poëta, populo, & mulieribus placere, & in Scholis declamatio fieri expectis? Non veram gloriæ, & laudis viam ingressus es; sed pro vero honore, ejus vanam nebulam, & fumū captas. Non solum enim publica recitatione, quæ fit in Basilicis, & exhedris, verum privatim etiam in convivis isthęc laus, & gloria tibi captatur. Quę autem hęc carminū laus est, aut quodnam istuc de Poëtarum scriptis judicium tam præclarū, quod ebrii, & vinolenti de rebus non intellectis proferunt? Potestne autem fieri, ut homines mali, indocti, ebrii, saturi aliquid laude dignum adprobent, aut liquidum, ac sincerum de aliqua re judicium ferant: quorum cerebrum vino madidum absurdis opinionibus, & vanis, ac insanis phantasmatibus perturbatum est. *Ecce* enim Quirites, & *Romulidæ* nobilissimi vix hodie de Poëmatis ferè disputant, & judicant, nisi *inter pocula*; & ubi ebrii, temulenti, ac *sasuri*, & vino, ac epulis distenti, ac suffarcinati sunt; & cū jam tectum, & pavementum vertigine ambulare, &

inter se commutari, & omnia gemina apparere incipiunt; tum demum de optimorum Poëtarum figmentis sciscitantur, & *querunt, quid diæ & sacra Poëmata narret,* & celebrent, & qualia jam carmina laudentur? *Hæc* verò ubi Poëmatum mentio in convivio incidit, generosus *aliquis,* & magni nominis, cui non tam Poëtico, quàm Bacchico furore correpto *circa humeros* sagum multis colorib. variegatum & *lenahyatimbrina est,* adfurgit, & *rancidulum,* putidum, & corruptum *quiddam de balbæ nare* voce fracta, & effœminata, acin cantum ineptè dissoluta *prolocutus,* tragica amantium virginũ exëpla, quomodo Phyllis Tracum regis Lycurgi filia amoris impatientia, quo Demophoontem Thesei filium ferius, quàm ipsi promiserat Athenas redeuntem prosequeretur, vitæ laqueo sibi eripuerit: Et Hypsipyle Thoantis Lemni regis filia, cum ceteræ Lemniades virostrucidassent sola, patri soli pepercerit, inde Leno ejecta, exul à Peiratis capta, Lycurgo vendita, & alios fortunæ adversos casus experta sit: Has inquit, *Phyllidas, & Hypsipylas,* & consimilem fortunam expertas, & alias fabulas adfectuum, & commiserationum plenas; & *si quid præterea vatium,* & Poëtarum mendacium tragicum, *plorabile,* & miserabile est, cujus principium triste, & finis lacrimosior; illud *eliquat* & cum lenocinio pronüciationis voces quasi percolans ineptè recitat, molli, ac *tenero palato verba supplantat,* & enervata pronüciatione frangit; & quo major in animis auditorũ miseratio excitetur, quasi fingulentiens supprimit. Hic ubi recitandi finem fecit, tum verò videas mutuum mulos, quod ajunt, scabere;

bere; & imperitos rudium, & indoctorum laudes, & encomia canere. Nempe nobilissimi, & fortissimi *vi*ri vino, & unguento madidi, ubi putidum ejusmodi, & vanum carmen balbutienti lingua, & dimidiata, & exili voce pronüciatum audiverunt: Protinus recitanti *adsensere,* & adfurrexere, & unanimi consensu palmam, & summum in arte Poëtica honorem ei detulere, & imperitum, & stolidum verificatorem ad cœlum usque laudibus sustulere, dum in has congratulantium voces prorumpunt: O carmen divinum, ac verè nectarum! o Poëtam ingeniosissimũ, & immortalis corona, & nunquam intermorituris laudibus dignissimum; qui quidem in ipso Mnemosynes sinu, ab Apolline, Musis, & Gratis enutritus, hujusmodi divina Poëmata edoctus sit. Nūquid autem caussè est, quin illius tam accurati carminis cõditor, quod tam decorè in convivio pronüciavit, jam fortassis mortuus, sit beatissimus? Nam si quem convivæ ebrii, ac temulenti laudant, quomodo ille non sit omnium fortunatissimus? An non ille vel jam vita sanctus, ob ebriosorum, & indoctorum tam invidentium elogium, tam honorificum testimoniũ, longè erit beatissimus? An non vel nunc illius tam divini Poëte reliquiæ. & *cinis ille felix,* & fortunatus est? An non nunc quoque tam sancti Poëte *ossa* beata sunt, molliter cubant, & placidè quiescunt, et ea terra sine pondere tenuis, & *cippus,* ac sepulcri lapis *levior,* & mitior *imprimis?* An non quia eum *convivæ* vino, & unguento diffuentes *laudant,* & prædicant, nunc quoque *è manibus,* & ossibus *illis;* nõne nunc quoque *è tumulo,* cinerèque extincto & *favilla* tan-

ti Poëtæ felici, & fortunatâ viola, & rosæ enascuntur? Nimirum quia eum homines indocti, & vino perturbati laudarunt, ejus reliquiæ in terrâ beatissimæ erunt; anima verò inter Deos referetur. Et hujus quoque beatitudinis tu quoque, senum sapientissime, ob ingenii tui monumenta adeò præclara, olim particeps fies. At nimirum heic mihi objicit, senex ridiculus, & stultus; & non sine stomacho ait: Nimis protervè, & petulanter ô Perſi me irrides, & mimis aduncis, & aquilinis naribus, dum eas soluto risu semper contrahis me suspendens, & ludibrio tibi exponens, indulges. Quasi verò non optimus quisque gloriâ ducatur: quasi verò non omnes studio laudis trahamur: Sanè universi, quicumque ingenii vires exercent, laborum suorum mercedem gloriam spectant: Adeòque oēs artes, & scientias honos alit, & excitat; omnesque ad studia gloriâ incendimur. Nec proinde mirum usque adeò, si Poëtæ quoque ejus cupiditate ducamur, eamque semper ex voto nuncupemus. An verò unquam quisquam tam stupidus, & bardus repertus fuerit, qui hominû favorem emereri non cupiat; qui vulgi adplausum non admittat: qui bonam aliorum de se famam cõtemnendam judicet? An autem usquam quisquam ab omnibus humanis adfectibus alienus inveniatur, qui os, voces, laudes, & adplausum populi suis carminibus, & ingenii monumentis promeruisse, sui que memoriam maximè longam, & præclarissimam effecisse vellenolit, & recuset? Et quis denique, qui se, & ingenii sui divina opera non in summo honore ha-

berii

beri cupiat; qui carmina nunquam intermoritura, & digna quæ cedro nunquam cariem, & vetustatem sèntienti inscribâtur locutus, posteritati nō relinquere, & post fata per illa ingenii monumenta superstes vivere desideret, & maximo opere in optatis habeat? Cedro, inquam digna, nec mensentia ne chartis inscribantur, quæ postea neglectæ, inutiles, & projectæ ad pigmetarios, salfamentarios, & Pharmacopolas preferantur, ut inde tunicæ, & cuculli, quibus scambros, eorumque congios, thus, piper, & consimilia amiciant, & involvant: Sed quæ nocturnâ, ac diurna manu versabunt, & magno honore & precio custodient, & conservabunt. Heust tu, ô senex delire, & inepte, qui quisque etiam es, quem modo contrâ, & ex adverso dicere mihi feci, & resistere; qui hunc meum quasi parum opportunum risum mihi objectas; audi nunc contrâ. Equidem non invitus tibi concessero non omnem laudem; & gloriam rejiciendam, aut cõtemnendam esse. Non enim ego omnes humani animi adfectus usque adeò exui, ut aliorum de me sermonibus, & famâ nihil cõmovear. Nam & ego cum aliquid scribo, aut in versibus pangēdis ingenii vires exerceo; si quis fortè à me aptius, concinnius, & elegantius exit; quod quam mihi insolens sit, ipse non inficias eo; quando hæc res mihi planè nova & inusitata, & tanquam Phœnix avis rara, & insolita, & nigro cycno, aut albo corvo simillima sit: si quid tamen fortè, quod rarissimum, à me paulò aptius, & concinnius exit, & proficitur, laudari me ob id ab aliis non metuum: Cum docta, & utilia scripta suis condignis laudibus nequaquam defraudanda, & spoli-

anda cupiam: *Neque enim fibra cordis mihi cornea est,* nec præcordia mihi faxea, aut ferrea sunt, ut nullis adfectibus humanis tangar, & instar cornu planè omni sensu caream, aut destituar: nec deniq; tamaverso à Musis sum animo, ut nulla laudis dulcedine adficiar. Vt enim turpia facta, atque vana, ac inepta scripta infamiâ, & dedecore suo; ita præclara contrâ facinora, & egregia scripta, ac inventa sua laude, sua gloriâ tanquam præmio, & mercede compensanda esse, omnibus modis semper æquissimum judicavi. *Sed* in scriptis, & carminibus pangendis, & recitandis non nisi popularem laudem, & gloriam sibi proponere, & vanam illam vulgi auram ambitiosè tantum captare, & adfentationes istas tam bellas, quibus tu aliis, alii tibi adblandiuntur, atque adèd *tuum* illud *Euge, bellè,* pulcrè, rectè, benè, accuratè, & reliquas voces adfentatorum laudantium, malorū judicium, summum Bonum, & *extremum,* ac ultimum *recti,* pulcri, & honesti *sumum,* ad quæ omnia tua dicta, & scripta referas, esse *recusò,* ac pernego. Nam ut laus illa & gloria, si suâ sponte te & ingenii tui monumenta sequatur recusanda non est; ita si non sequatur, nõ magnopere adpetenda. *Nam excute* quæso accuratius aliquantulum, & *totum hoc* tuum *Euge, & bellè,* pulcrè, ac benè, ceteraq; omnia, quæ tu aliis, tibi alii adfentatores ad voluptatem loquuntur, penitiùs aliquanto introspecte, perpende, & examina: quæso *quid* adulationis, impudentiæ, vanitatis *intus non habet?* quid non sæpè etiam fraudum; sycophantiarū, illusionum, imposturarum? Cùm non ex accurato aliquo judicio, sed opinione; non ex veritate, sed adu-

latione

latione proficiscatur. At verè si oculos tuos ad hæc nostrâ converteris, videbis nimirum longè alium finem, & scopum in hisce meis scriptis mihi esse propositum: nihil autem quod auræ populari inserviat: nihil quod vanam gloriâ adfentando, & adulando quærat: quippe qui non malis, & imperitis placere, sed bonis omnibus prodesse cupiam. *Non enim est heic* in scriptis meis vanum aliquod, & ambitiosum, ac insulsum carmen, & vitiiis, ac ineptiis inflatum, & turgidum quod imperitè multitudinis corrupto judicio subjectum cupiam, ut populi adplausum ambiat: Non heic est inepti alicujus, & vani Poëtastrī, ut *Accij* Labeonis Brileis aliqua, aut *Ilias, veratro,* & Helleboro *ebria,* & vitiiis ac infaniâ plena, & grvida: & quæ quidem per insana illud medicamentum ad ebrietatem usque perpotavit. *Non* heic in opusculis meis deprehendas, *si qua* lasciva *Elegeidia;* si qua tenera, & mollia Poëmata *proceres* illi, & nobiles nostri Romani ex nimiâ repletione, & crapulâ *crudt,* tumidi, & temulenti in conviviis inter media pocula recitarunt, & *dictarunt:* *Non denique si quid* à divitiibus, & generosis Romulidis tanquam quâtivis precii, & immortalitate dignum *in civeis lectis,* & cedrinis, ac pavoninis mensis, & tabulis componitur, aut *inscribitur.* At vide quæso, quæ, & quanta istæc tua vanitas sit; quàm insana illa tua ambitio; quàm impudens illa tua laudis, & gloriarum sitis, atque cupiditas. Quorum quidem cùm sis cupidissimus; eaq; omnibus rationibus, & turpibus sæpè artibus aucuperis; veram tamen laudem, & gloriam inde ad te perventuram statuis: Et cùm tuos auditores donis,

B 4

et munerib. corruperis, & ex amicis adsētatores reddideris; eorum tamen iudicium de tuis carminibus liquidum, & sincerum futurū exstimas. O incredibilem stuporē, & cæcitatem! Laudicōne vanissime, & insulsiissime; homines pauperes, & egenos ad cœnam vocare, iis delicatissimas epulas, & farcimen è mammis suillis, post partum, antequam eas fetus fluxit, resēctis factum, *calidum*, inquam, *sumen*, lautam, & opimam vulvam, & alia in summis delitiis habita in cœnam *scis apponere*. Nec delicatē solum famelicos illos pascere, sed pannis etiam obritos vestis munere devincire, & *comitem*, & affeclam tuum malè vestitum, frigore tremulum, & *horridulum triā*, & depexā *laccernā*, vel penulā, quæ tunicæ adversus frigus injuriam inducatur, *donare scis*, eorumque iudicium quovis modo corrumpere accuratè novisti: *Et* postea ex illis quæris, quid de te, & scriptis tuis sentiant: Quin etiam ubi talium, quos muneribus, & largitionibus ex amicis adultores tibi fecisti, de te iudicium exquiris, simulas te sinceri de scriptis tuis iudicii percupidum esse, & veritate maximopere delectari; & *inquis*: Nolo te mihi adfentiri, aut aliquid in gratiam ad voluptatem loqui. Falsum, & adultores odi; *verum amo*, verum volo: *verum deme*, & carminibus meis *mibi dicte*. Homo stolidissime, & vanissime! *Qui* potest fieri, ut quorum iudicium antè muneribus corruperis; quorum mentis aciem donis perfrinxis, ab illis veritatē audias? Nimirū omnis corruptus iudex verū malè examinat. At quoniā te veritate adeo delectari video; ejusq; adeo cupidus adeo amans es; *Visne* ut ego *dicā*, quid de te, de scri-

scriptis, & carminibus tuis sentiam: *Visne* ut ego, quid populus nullis muneribus, ac largitionibus corruptus de opusculis tuis iudicet, aperte, & sine furo proferam? Poëta vanus es, & ineptus: nec carmen alicujus valoris, & precii condis, sed ineptias agis, & *nugaris*. Qui enim fieri potest, ut ex ventre tam crasso, & obeso aliquid subtile, & ingeniosum prodeat: ut in tanto gurgite, & voragine aliquid ignei ingenii, & acuminis lateat? *Præsertim cum tibi calvè*, stulte, & barde Poëtafter, venter ille collativus, & turgidus, inexplibilis illa & insaturabilis obsoniorum sentina, & vorago; obesus, in quā, ille, et præ *pinguis aqualiculus*, & sordium illud receptaculum, in quod tãquam lutulentus porcus omnis generis edulia sine modo congeris, *sesquipedè*, uno pede cum dimidio protenso, & *propenso* de pectore *existet*, & præmineat. Quid autem quæso tenue, subtile, & mundum de se gignat, ejusmodi crassa sentina, & sordium cloaca? At tui tamen affeclæ te laudant, & carmina, ac versus tuos stolidissimos immodicis commendationibus ad astra extollunt, & ingeniosissimos, maximeque divinos prædicant. *O Iane* Italiæ rex sapientissime, & antiquissime! felicem te, & terque, quaterque felicem! *Quis* autem tuam felicitatem satis exprimere, quis vel ullā oratione adumbrare possit? qui quidem bifrōs, & bisformis sis, & in occipitio etiam frōtem, & oculos geras omnium beatissime: nec solum quæ ante te sunt, verum illa etiam, quæ post tergum intuearis: qui ab adulatorum, & irrisorum fannis, & illusionibus, qui te à fronte laudent, post tergum derideant tutus sis, & immunis: *Quem a tergo nulla*

fannionum dextra, dum medium infamemq; digitum ostentans, aut se digitis compositis contrahens, rostrum, qualem habet *ciconia* exprimit; crebrò percutit, & *pinxit*: cui *nec* ulla ardelionis *manus mobilis*, & sæpe agitata pollicibus à tergo ad tempora appositis *albus* alini *auriculas imitata est*: cui deniq; *nec* irrisorum *lingua tantum* exfertæ, prolata & extensæ, *quantum canis Appula*, propter intensum regionis calorem æstuans, *sitiat*, protendat, & aeris refrigerium captet, vanum, & irridendum indicârunt. At contrâ tu stolidissimus, & maximè infelix, qui à fronte pariter & tergo cæcus, inter amicum, & adfentatorem discernere nequeas; qui illos tibi amicos putes, qui de te aliter domi, aliter foris sentiant: qui isthæc sapientiam tuam demirantur; illic dementia tuam derideât; à fronte laudent, & à tergo te calumnientur. Quanto autem satius erat, vos Romanorum nobilissimos id operam dare, ut adultores, genus hominum pessimum; & latenti profectò aspidi simile, & cognoscere, & vitare disceretis. Quod si me auditis *vos ô* Romani proceres, *sanguis patritius*, & generosus, quibus illa lani felicitas, & sapientia non contigit, sed *quos* more aliorum hominum tantum in anteriori fronte oculos gerere, & *occipiti cæco vivere* oportet, & *fas est*; imò quibus ipsa stultitia, & vanitas, quam opes & nobilitas fere patiuntur, nimis plerunque fida comes: vos, inquam, *postica* irrisioni, & *sanna* quæ à tergo fit, *occurrite*, & ne vos adultores post tergum derideant, & ludibrio habeant, sedulo cavete. Sed nimirum, ut dixi, plerisque vestri ordinis æquum est, minus oculatis, & circumspèctis esse:

esse: quorum nimirum divitiæ stultitiam comitem secum trahunt. Quæso enim paullulum operam mihi date, & mecum considerate accuratiùs, quàm miseris, & miris modis Gnathones illi adultores vestri vos Thralones suos ludificètur. Nam dum vestri ordinis aliquis laudis, & gloriarum cupidissimus suos affleas, & convivas, quibus victu & amictu prospicit, percontatur, & inquit: Age dic mihi, *quis populi sermo*, quod vulgi *est* iudicium de meis scriptis, & carminibus? Tunc illi satis adulatoriè, & suo more respondent: Tunc id me interrogas Poëtarum ingeniosissime? quod quidem toti mundo est notissimum, te unum, & unicum esse, quem quibuscunque acetum acre in pectore, & nares aliquanto magis emunctæ laudibus omnes attollant, suspiciant, demirentur. *Quis enim* de divinis illis, & immortalitate dignissimis scriptis, & carminibus, tuis alius populi Romanorum sermo, aliud iudiciū foret, *nisi carmina* illa artis, & ingenii plenissima, *nunc demum* hæc nostrâ ætate te uno vivo, & vindice ad omnis perfectionis cacumen ac fastigium pervenisse; & jam tandem *mollis numero*, facili, & accuratâ juncturâ, mirâ dextertate, & solertiâ *fluere*, & à te componi? adeò apta, cōcinna, & suavia, ut omnium censorum, & Aristarchorum iudicio superiora, & limatiora, omni reprehensione majora sint; & velut in marmoribus, quodcunque; dextrè, & accuratè junctū, & ad fabrès, solerter, & examulsum coaptatum, & commissum, nullâ asperitate relicta *perlave*, & politū est, ut *junctura*, si digitis pertètetur, & examinetur, *severos*, accuratè inquirentes; & judicantes *unguis* nullâ inæqualitate offendat, sed

sed extra juncturam *effundat*, & transmittat, ut nulla commissura sentiat. Sic carmina tua absolutissima omnibus numeris, & perfectissima accuratissimorum Criticorum acre judicium, & limatam censuram facile sustinent, & nihil reformidant. Tales enim passim in urbe de te sermones; Ille Poëtarum optimus, & vatum hujus sæculi facile princeps, tantâ solertiâ, & dexteritate carnem *tendere scit*, & sine ullâ asperitate, & inæqualitate *versus* enodes, & leves deducere novit; *non secus ac si* tanquam faber lignarum opus ad amulsim, & regulam examinet, aut *uno oculo* clauso, altero aperto (ne vago amorû discursu rectitudinis norma, & judicii veritas conturbetur, & alucinetur) lineam rectam normâ per *rubricam* notatâ *dirigat*, & adponat. Noster enim Poeta ille eâ ingenii dexteritate pollet, ut unicuique materiæ quanta etiam, & qualis illa sit, pro dignitate tractandæ par sit, ac idoneus. Nam *sive* Comœdiam aliquam scribere, & *in mores*, ritus, & vivendi consuetudinē mortaliû aliquid *dicere opus* est; noster Poëta mirus, & ingeniosus artifex deprehenditur: Sive etiam Satyra aliqua scribenda est *in luxû*, & incontinentiam hominû; neutiquam ingenii vires eum defituunt: Sive *etiam* denique res tristes, & Tragica, ut horrenda illa, & crudelia *regum prandia* Orestis, Atrei, Thyestæ, Terei, & Procnes grandiloquo aliquo, ac sublimi dicendî genere proponenda sint, tunc *Musæ res grandes*, & arduas, inventionem accuratissimam, verba decoris, & gravitatis plena *nostro poëta dat*, & suppeditat: Vt nemo alter cum illo fuerit comparandus; nimirum quem Ro-

ma hoc tempore sine pari habet. His & confimilibus perniciosissimorum adulatorum adsentationibus, sycophantiis, & illusionibus impudentissimis Thraſones illi Romani, vani inquam, & stolidi Poëtaſtri, non modò in proposito, & nugis suis confirmantur, & perseverant: verùm insuper paulatim ad majora adspirant; & maximis, arduis, ac difficillimis quibusque manus implicant. *Ecce enim* quos paulò antè in ineptiis occupatos, & *Gracè nugari*, vana poëmatia, & Epigrammata Græca ineptè condere *solitos* novimus: illos *modò sensus heroas*, grâdes, & sublimes *adferre*, magnas res versibus attentare, fortè Epos, & gravissima, & difficillima quæque in Poëſi adgredi *videmus*; Et quorum ne prima quidem rudimenta, & initia perceperunt; quippe, qui *nec* Poëtices tyrocinia, & Progyrnasmata explicare, ut fontes, & flumina describere, *lucum* aut sylvam numini alicui consecratam, & in cædum, arcum celestem, vel auroram *ponere*, & versu illustrare; *nec* denique *rus saturnum*, lætis segetibus, arboribus, omnifque generis fructibus luxurians, & porco, hædo, agno, gallinâ, caſeo, & melle faturû & plenû, & alia ruris commoda rectè percerere, & pro dignitate *laudare* fatis idonei *artifices*, fatis gnari, ac periti sint: Rus inquam saturnum, & omnibus fructibus plenum, & *abundans*, *ubi* nimirum *corbes* fragis, ceralis, pomis, pyris, & aliis variis fructibus referti; *et focus* luculentus, culina uncta; adde *et porci*, greges, & armenta lætissima: Loca *etiam* jam sacrificiorû; ubi pastores vigesima Aprilis die magnæ suæ Dæ Palis festa *Pabilia* dicta, *fano*, & stipulis nocturno tempore incensis *fumosa*,

fumosa, per ignem transfiliētes, & vociferantes, colūt & celebrant: Atque adeò ex quo rure Romulus, & Remus progenitores nostri, olim rustici, & pastores; unde generosissimorum Romanorum prima origo, & cunabula ad imperium prodierint, & urbem considerint: Et denique unde tu ò L. *Quinti* Cincinnate Serrane oriundus & ab agro in urbem ad Dictaturam accersitus sis, quondam rura colens, & inter arandum *dentalia*; & ligna quibus vomer includitur, *sulco*, & lacuna aratro facta *atterens*: cum tibi in agro trans Tybrim hæredium quattuor jugerum aranti, & ferenti, te Dictatorem Senatus decreto factum esse per legatos annūciaretur, & Imperator salutareris: *Vxor* aut tua *Racilia* novitate rei percussa, & *trepida* te Dictatorem arandi labore defatigatum, sordidum, & nudum *ante boves induit*: & prope rē è tugurio togam tibi postulanti protulit, teq; insignibus, ac veste Dictatoriā exornavit, & *līstor* publicus minister à Senatu missus *aratra tua* humeris imposita *domum tulit* te in urbem subsecutus. Tu autem imperator consulem cum exercitu à Samnitibus obsessum liberasti, & insigni partā victoriā ad agriculturam rediisti. Sanè quo tempore nondū Romani ita ambitiosi, nondum ita generosi: & nobiles; & à quibus tamen, nos generosissimi, ac nobilissimi, & laudis, ac gloriarum cupidissimi oriundi. Hęc inquam tenuia, & exilia, & Poëseos initia, & rudimenta non describere possunt, non expiicare norunt; & res tamen gravissimas, & difficillimas attendant, & operibus arduis, ac difficillimis manus injiciunt. O incredibilem impudentiam, ò inauditam stultitiam!

Euge

Euge Poëta accuratissime, & ingeniosissime! *Euge Poëta* divinc, & celeberrime! ò caput rari acuminis, dexteritatis, artis: Meo sanè judicio helleboro potiùs, quàm coronā dignum; & oblōgis asini auriculis, quàm Phœbeā illā lauru decorandum. Atque ita quidem Poëtæ in suis operibus vani, & inanes: Nec illi ipsi cum reliquis Quiritibus, & auditoribus dum de aliorum scriptis judicant multò meliores, & sapientiores: Sanè qui vani vana ipsi tractant: vana aliorum suspiciunt, & demirantur; & quibus in judicando nihil magis cordis, quàm trunco, nihil magis cerebri, quàm statuae, nihil magis narium, quàm cuivis lapidi: Qui nimirum delectatur novis rerum nominibus, & dicendi genere inaudito; quò difficilius scilicet intelligantur, & longè sapientiores videantur. *Est ergo nunc* Romæ, qui vetera tantum probet, & antiquos Poëtæ in precio solos habeat: quem *venosus*, inæqualis, & tortuosus ille *Acci* veteris Tragicæ *Brisæi*, Bacchici, ac furentis *liber* juvet, & delectet: *Sunt quos* Marcus *Pacuvius* Tragicorū ille antiquissimus & maximus sed nimis priscus, & Tragediā ejus *verrucofa*, dura, & aspera detineat, & *moretur*: In quā nimis audacter, & temerariè interdum describit, quomodo *Antiope* Nictæi regis *Lebi* filia à Iove in satyrū conversa constuprata à marito *Lyc*o Thebanorū rege ignaro à quo gravida esset, aliā quādam *Dirce* in matrimonium ductā, spreta, & repudiata sit. Quæ cum à *Dirce* ex zelotypiā in tenebris clausa, & propter suspicionem pellicatus infinitis cruciatibus vexata esset, à *Pacuvio* in illā Tragediā animum, & *cor luctificabile arumnis fulta* esse dicitur:

dicitur: quasi ejus cor tot ærumnæ, calamitates, & miseræ angeret, & cingeret, ut illis cor fultum, incumbens, & innixum habeat; translatione, ut pleraque alia non audaci tantum, sed propè absurdâ, & temerariâ. His antiquis, & obsoletis Rom. nostri delectantur: horum priscorum verbis utuntur; mores & vitâ negligunt: imò horum vitia emulantur, virtutes stolidè relinquunt. Nimirum horum verba, & loquendi rationem filiis suis diligentissimè inculcant & maxime commendant: hæc eis ediscenda, & imitanda proponunt, quibus singularem dignitatem, summam gravitatem, & majestatem inesse adfirmât. Nec mirum illam veterem, & obsoletam dicendi rationem denuò jam Romæ inolevisse: imò tantam ariditatem linguæ, tam sordidum, ambitiosum, & lascivum loquendi genus jam passim adfectari. Etenim *cum videas lippos illos patres, & cæcos, ac deliros senes* (qui nimirum aliis sese duces præbent) *hos monitus*, has adhortationes, illam linguæ vetustatè, & obscuritatem è tenebris eruendam, & quasi ab orco revocandam esse, inde à primis pueritiæ annis unâ quasi cum lacte materno *infundere*, & instillare *pueris* suis videas (quasi maximum ingenii decus sit obscura, nec cuivis cognita, adfectatè & ambitiosè non sine ostentatione eloqui;) quæso te *quærisuo* adhuc atque ambigis unde passim hæc ineptæ, corruptæ, & ridiculæ locutiones exortè sint? *Vnde hæc miscella, & sartago loquendi*, in quâ tanquam in patella variorum animalium carnes friguntur, & torrentur: sic nova & vetera, usitata, & obsoleta passim ridiculè, & ineptè commiscuntur, *in linguam*, & cõmunem hominum

num sermonem *devenis*? Et es ne denique tam stupidus, ut perconteris adhuc, *unde illud* Latini sermonis *dedecus*, illa loquendi ratio fracta, & effœminata, & viro gravi ac honesto parû digna; profecta sit; & quò Romani nostri nobiles in Tragœdiis, Comœdiis, & Mimis, etiam in judiciis usque adeò gaudent, & delectantur; tam mirè lætantur, & adficiuntur: & *in quo adeò Troilus*, eques Romanus, & juvenis illa multum torosa, benè habita, & in cute curandâ plus æquo operata *levis*, glabra, & mollis, nullâ honestatis habitâ ratione, *tibi per theatri subsellia exultat*, plaudit, & terram pede pulsât. Nimirum mirandum non est, pueros adeò depravatam & loquendi, & vivendi consuetudinem usurpare; quando hæc à primis unguiculis à parentibus didicerunt; suorumque vitiorum illos duces, & auctores habent. At hæc Poëtarum quamvis indigna, & turpia, levia tamen, & nullius momenti existimanda sunt præ his, quæ oratores, & causidici, & quoquo modo causam dicentes committunt: quos eadem Poëtarum vanitas, & ambitio invasit, & infecit. Sanè tanta jam Romæ morum corruptela, tanta loquendi pravitas, tantâ gloriæ & laudis præpostera cupiditas, ut Oratores etiam & Rhetores, in judiciis, & illud quidem causis gravissimis, ubi de vitæ, & famæ periculo agitur, relictis causæ argumentis illius grandiloquentiæ veteris, & jam obsoletæ laudem adfectent; & injustâ causâ superiores evadant: quatinus causam non defendant, nec objectum crimen à se removeant, sed in plausibiles, & favorabiles locos nullâ ratione excur-

rant, stolidiſque auditoribus fumum verborum vēdant, ut à circumſtante coronâ laudentur. **Quid** quod illud faciunt jam propè exactâ ætate ſenes. At age dic mihi ſenex delire, & decrepite, quem jam ejuſmodi nuces, & verborum ineptias reliquiſſe, & rebus honeſtis & gravibus, & ad te pertinentibus occupatum eſſe æquum erat, & oportebat; *nihilne* te tui *prodes*, ubi alicujus criminis accuſatus es, & de diſcrimine vitæ, & famæ tuæ agitur, te *non poſſe* perſonam tuam coram iudice defendere, & *cano tuo capiti* imminetia *pericula* avertere, arcere, & *depellere*; *quim* objectum crimen non apertè, & ſine ambagibus reſellas; ſed ſuco quodam orationis quem adfectas, ſine ullo ſententiarum pondere ſolâ ingeniū oſtentatione illud tegas, & ipſâ cauſa relicta in oratorium campum præpoſterè te diſſundas; verborum, & figurarum ornamenta, & lenocinia colligas; auditoribus tuis potiùs placere, quàm cauſam tuâ velis defendere; & ab auditoribus tuis, adulatoribus rectiùs fortè dicam, illas ad plaudentium voces, & *trepidum hoc*, tremulâq; voce pronunciatum Euge hoc bellè & pulchrè, illud rectè, & *decenter*, & ſimilia *audire* ſummopere deſideres; & *exoptes*. Ecce autē q̄ malâ, & pernicioſâ arte objectum crimē à ſe removeant, & declinent. Accuſat enim Cyrenenſium aliquis Pedium Blæſum, eumque furti arguit, & *Pedio ait*: *Fures* Pedit, & ſacrilegus, & fanum Aefculapii expilaſti, & delectum militarem precio & ambitione corrupiſti. Acerrima ſanè, & atrox accuſatio. At *quid Pedit* ad hæc, & quibus rationibus ſe purgat, quibus argumentis tantum crimen à ſe removet.

Sine

Sine dubio aut ſolidiſſimis rationibus objectū crimen diluet, aut iudicum opem, & miſericordiam implorabit. Ille verò non ad furtum reſutandum, nec ad cauſam defendendam veniet: Sed ipſo crimine, ipſâ cauſâ relicta, non res, aut valida argumenta, ſed verborum ſucos, aut colores meditat; & ſuâ orationem non rerum, & argumentorum pondere decorare, ſed concinnorum verborum floſculis, & figuris pingere ſtudebit, & ſolummodo in voce ſplendorem, in motu ſuavitatem obſervabit. Sanè *crimina* ab adverſario ſibi objecta *inraſis*, & politis *Antitheſis*, figuris, & contrapoliſtis verbis, & numeris trutinat, ponderat, ac *librat*: qualia hæc! Nam pro Deos immortales! ô ſanctiſſimi iudices, egone tanti criminis accuſor, qui ſemper vitam meam ab omni turpitudine alieniſſimam duxi? Itaque Peditus fur eſt? qui ab alienis ſemper abſtinuit: avarus? qui ſuis maxime contentus fuit: ſacrilegus? qui ſemper pius, & Deum obſervantiſſimus vixit: honorum cupidus? quos nimirum ſemper alto animo ſprevit, & contempſit? Furti accuſatur, qui juſtiſſimus; avaritiæ inſimulatur, qui continentiſſimus: ſacrilegii, qui piſſimus; ambitus reus peragitur, qui ab honoris cupidine ſemper alieniſſimus vixit? Non fur, ſed honeſtus, & integer, non avarus, ſed liberalis, & beneficus; non ſacrilegus, ſed religioſus, & pius; non prædo, ſed Prætor; non raptor, ſed largitor. Hujusmodi verborū involucris, & ambagibus non objectum crimen diluit: ſed auditoribus ſucos vendit, & imponit, eosque à ſuo ore pendulos detinet, à quibus tanquam ſummiſ orator, & vir optimus, & dicendi peritiſſimus *deſas figurat*.

& verborum flores, & picturas orationi suæ inferuisse, & *possisse collaudatur*, ejusque factum impudentissimè comprobatur: Euge! hæc sententia quam pulcra est! Hoc verbum jucundum; *hoc bellum*. At heus tu fabula impudentissime, ecquid te pudet, quòd Romanum populum ludibrio habeas, & gravissimè accusatus in super laudem, & vulgi ad plausum impudentissimà tuâ loquacitate turpissimè veneris; ubi severitate, ubi purgatione, ubi deprecatione opus erat? Vos quoque, o auditores Romani indigni nomine, ecquid vos pudet qui istas vanissimi oratoris ineptias adprobetis, & si quid adfectatum & tumidum ab illo prolatum fuerit, statim adclametis, quasi bellè, & sapienter Pedius dixerit. *Hoccine bellum*, hoccine pulcrum est? Heus tu degener, & Romano indigne nomine, tunc hæc tam turpia, tam vana laudas? *An tu Romule* nominis, gentis, & sanguinis nostri auctor fortissime, sapientissime, & integerrime jam planè degenerasti, & de præcâ, & avitâ virtute & honestate descivisti, & iam in lustris, & lupanaribus impudicus, & impudens turpissimè canum more nates moves, & *ceves*? Iamne ab omni prudentiâ, & gravitate alienus, & devius vana, inepta & turpia laudas, & adprobas? qui quidem tibi tam turpissimè ab impudentissimis Sophistis imponi sinas. Quid enim hic evidentius? Quis autè vir gravis, & cordatus ferat hominem ad judicis subsellia protractum, acerrimè accusatum, extremâ fortunâ stantem, si causam suam dicat orationem maximâ verborum curâ, multis figurarum coloribus ambitiosè pingere, Antithetis, & contrapositionis adfectatè uti; ubi atrocitate, fletu, de-

precatione, miseratione opus est. Cum apud judices prudentes, & graves omnis verborum cura adfectibus, fidem derogat; & ubicunq; ars ostentatur, veritas ab esse videatur. Profectò hominem miserû, & calamitatibus, oppressum magnifica, & sesquipedalia verba non decent. Nâ non secus ac qui naufragiû passi sunt & bona sua in mari perdidierunt, ut miserabilem illû suum casum, ac naufragium in tabellâ aliquâ depingere, & spectantibus ob oculos ponere, ut illos ad misericordiam, & sibi subveniendum commoveant, solent. Qui dum tabellam illam sui naufragii secum ferunt, & ab obvijs stipem emendicant; si canant, aut magnificis verbis unumquemque compellent, aut alia lætitiæ signa præseferant, haud promptè aliquem ad sui miserationem commoverint: Ita nec hi Rhetores, & Sophistæ dum plenis buccis grandia, & magnifica verba in concione debacchantur, si quidem aliquid cerebri in capite, aut aceti acris in spectore reliquum tibi foret, te in suam sententiam minimè perducerent. *Mène quippe commoveat*, aut ad misericordiam inducat reus si non fleat, & judicum commiserationem miserabili voce imploret; sed superbâ, et ambitiosâ oratione utatur? Nûquam me Hercule. *Et egone vel assem*, et exiguû aliquem numulum è bulga protulerim, si naufragus cum depicta sua tabula, qui à me stipem emendicat, nulla doloris, et tristitiæ signa præseferat, sed suaviter canat, ac se lætum, ac hilarem demonstret? Tunc magnificis verbis uteris Sophista pditissime, de cuius vita, ac fama agitur? Tunc suaviter cantas, et lætus hilarisq; exultas naufrage stolidissime, cum te in

fractâ trabe, tabulata navis rupta prehendentem, et ad terram enatantem *ex humero* in tabella *depictum* portas, et circumgeras? Querimonis, et lacrumis illi opus est, qui me velit flectere, et ad misericordiam perducere. *Verum* tantum abest, ut talis Rhetor aut Sophista mihi imponat, aut magnificis verbis me commoveat, aut in suam sententiam perducatur, ut ne fictis quidem lacrumis, aut oratione vel maximè ad misericordiam commovendam comparatâ idem sit præstiturus: *nec qui me suâ querela* ad commiserationem inflectere, et ad subveniendum misero impellere, aut ad dejectum, & lapsum erigendum *incurvasse* volet, longam, et diu præmeditatam orationem mihi recitabit, aut lamètabile quid *nocte* summâ cura excogitatum, & *comparatum* plorabit: sed verapotiùs, vivida, et naturali querela suas calamitates mihi recitabit, et verè doleat, et ex animo ploret necesse est. Nec dubito si et vos Romani meum exemplum secuti fueritis, qui impofterum ab impudentium morum rabularum, ac Sophistarum, qui vobis pro libidine fucum faciunt, et imponunt, ac turpiter vos ludificantur, imposturis, et illusionibus immunes futuri sitis. *Sed* rursus fortassis bellos illos Poëtas aliquis heic mihi objectabit, et dicet: Vt vel maximè hæc grandiloquentia, hæc tumidorum verborum adfectiones, & pigmenta causis forensibus non cõpetant; et oratores illis, viris gravibus et prudentibus ridiculi, & inepti sint: Poëtae tamen omni fortassis reprehensione superiores erunt; illorumque scripta minimè dedecebunt: Quippe quorum versibus, & *numcris* quamvis *crudis* interdum, & asperis, his ver-

bis antiquis, & figuratis structuræ coagmentatione æquabili, summum ornamentum, honor, & decor, & suavitace elegantiâ mirifica *junctura*, & concinnitas *addita* est. Vt si quæ asperiora, aut minùs matura videantur, solerti compositione perpoliantur, & leniantur; ut incocti, crudi, & immaturi fructus dulcium, & mollium conjunctione mitiores redduntur. At videamus illorum carmina, quàm illa suavia, & concinna, quàm illa singulari elegantiâ, & dulcedine condita sint. Sanè in quibus maximas vanitates, incredibiles ineptias deprehendas. *Sic* enim hujusmodi Poëta carmen condere, & *versum claudere*, & absolvere *didicit*: *Berecynthius Atys*. Vbi fabulam de Aty puero Phrigio formosissimo à Cybele, quæ in Berecyntho Phrigiæ monte colebatur, recitat: *Quomodo* Atys fidem Cybelæ datam Sangaride Nymphâ à se compressâ, & vitiatâ, violaverit: Et ob id Deæ Cybeles ipsâ, furore correptus, & thalamum, ac domum suam ruere, & procumbere putans, per sylvarum, & montis Dyndimiam diffugerit, & arrepto cultello sibi inguina præciderit. *Quis* autem tam mollem, & clumbem compositionem non explodat; quis ad eam fractam, & enervatam non derideat? Eiusdem omninò notæ, & ex eadem officina & hoc est:

Qui caruleum dirimebat Nerea Delphus.

Vbi agit de Delphico, qui Arionem Citharædum, à Piratis captum, & in mare se projicientem, dorso exceptum, ad littus incolumem perduxit. Sanè qui versus turgido, & inflato fastu, & putidâ vanitate priori nihil cedit. *Quid* enim ineptius, quàm ita

verfum claudere? Quid putidius, quàm ita pro mari, & ponto Nerea filium Oceani, & Tethyos Deū maris ponere? & dirimebat, pro natando fecabat, & sulcabat? & Nerea dirimere, pro in mari natare? Nam quis hic nō videat adfectata esse omnia? *Sisubi* alter Poëta reliquis vanior adhuc, & ineptior bellū Punicum secundum duce Annibale in Italiā gestū, & quomodo Annibal ex Hispaniā devicta per Galliam montem Pyreneum, Alpes, & nives cum maximis Elephantis, & integro exercitu in Italiā penetraverit: & iter à Barbaris, & objectu montis Apennini sibi obstructum patefecerit; montem igne, sulphure, & aceto disrupit, describit: inter aliaridicula, & inepta Pœnos loquētes, & jactantes introducit:

— *Cōstam longo subduximus Apennino.*

Quòd partem aliquam Apennini montis avulserint, & excusserint, per quē eum sibi transitum fecerint. Nimis profecto adfectatè, & ineptè: & ubi præter molitiem, & suavitatem numerorum nihil ferè reliquū. At nimirum heic Poëtarum hujusmodi vanitas (ut nunc est hominum in criminibus suis defendendis flagitiosa audacia, & perniciosum studium) rursus contra me insurgit; & Poëtas etiam longè optimos, ipsum etiam principem Poëtarum Maronem, ad suas partes impudèter trahere, sibi quē similem, horridum, & scabrum dicere, judicii vanitate, & perversitate nō erubescit. Ajunt enim: Malus, & iniquus es, ô Persi, qui quidem tantā licentiā in nos debaccheris. Quasi verò non illi etiam, quos tu vel maximè ad cœlum usquē laudibus attollis, eodem prorsus modo, eosdēque nobiscum versus conscribant. Sanè quos hujus

no-

nostræ compositionis, quam tu usque ad eò suggestillas, non tam comites, quàm duces habemus. Et enim totū illud Poëma Aeneidos Vergilianæ quod incipit:

Arma, virumque cano. —

Annon hoc est spumo sum, & bullæ instar inflatum, & turgidum; multumquē; fœculenti, & supervacanei fecum trahens? Nōne hoc plerisque; in locis vanitatis, & inaniis tumet? Nōne hoc denique; ornamentis rudibus sæpè, & plebeis additis pinguis & crasso est corticis? nōne aridum, & jejunum, ut annosus aliquis, & antiquus ramus ab arbore dejectus; ut vetus, & annosum ramale vagrandi, & immenso subere densissimæ, & crassissimæ crustæ, & corticis diuturno solis calore coctum, & exsiccatum? Pulcrè, & rectè judicas, ô Poëtarum ingeniosissime; & accuratè sanè tuum de P. Vergilio Marone judicium; quo meritò idem præmium, quod olim Rex Midas, inter Apollinem, & Marfyam iudex electus, reportares. At diceres mihi non sine stomacho: Quando ergo, ô Persi, dure, ac morose Poëtarum Aristarche, omnia vana, turgida, tumida & inflata hoc tempore, & ad rumores populi aucupados tibi comparata videntur: quidnam igitur vel tuo judicio molle, & minus asperum, quidnam tenerum, nec nimis inflatum, & turgidum, & juxta hoc limatum tuum judicium perfectum, & omnibus numeris absolutum: ac proinde cervicella, soluta, ac remissa, non nimis firma, intenta, & rigida tanquam tumidum, & inflatum, legendum, ac pronuncian dum existimas? Quidnam illud sit queris vatum divinissime? Nempe hoc tam præclarum, perfectum, & absolutissimum ex Neronis Impera-

C 5

toris Poetarum ingeniosissimi, & sanctissimi officina depromptum: Qui in sua Niobè in hunc modum:

Torva Mimallonis implerunt cornua bombis:

Ex seclum vitulo caput ablatura superbo

Bassaris, & Lynceæ Manas flexura corymbis,

Euion ingeminat, reparabilis adsonat Echo.

Vbi nimirum tam bellè describit, quomodo Pentheus Echionis, & Aganè filius, cum Bacchum cõtemeret, ceterosq; ab ejus cultu arceret, à matre, & materis Bacchantibus disceptus sit. Versus profectò turbidos, inflatos, elumbes, & viro Romano parum dignos, qui nil nisi stultam, & fabulosam antiquitatem, & stultam verborum ostentationem redolent. Quid autem tam furiosum, quàm inanis verborum grandium, & magnificorum strepitus nulla subjecta sententia, ubi grandis sonus, mens autem, & sensus nullus? Quid autè ineptius, quàm torva cornua pro tubis incurvis ex cornibus factis usurpare, & implerunt cornua, pro inflarunt tubas, & Mimallonis bombis, pro Bacchico sono; quod Bacchi sacerdotes Mimallones dicantur à Mima Asiæ minoris urbe, ubi Bacchus colitur. Nec concinnius cum ait Bassaris superbo vitulo caput ablatura, pro sacerdos Bacchi (qui Bassarus dictus, à Bassare lyncispelle, quod eo Bacchæ velarentur) Penthea Bacchi sacra superbè contemnentem, & matri suæ, & aliis Bacchis in vituli, & juvenci forma apparentem discerptura: Et quod Mænas, vel sacerdos Bacchi insana & furiosa Lynceæ animal, acutissimi visus, aut Tigrida currum Bacchi vehentes corymbis, vel racemis hederarum flexura, & reclusura Euion Bacchum tanta

voce

voce inclaruit, & ingeminavit, ut Echo etiam, quæ in repercussis locis habitat, & concava vallium, & montium sonum reddiderint. Quis non videt, hæc, quæ revera Echo, & sine mentefonus, & vox, ex cõposito ineptè, & supinè adfectata esse? Sanè in quibus omnium rerum gravitate, & perspicuitate cõsultò neglectà, tantum inani cujusdã orationis sono studuisse videtur. O supinas horum Poetarum vanitates, & ineptias! O optimorum, & gravissimorum parentum stolidos, & degeneres filios! Nimirum mores majorum nostrorum, cum verbis, & sermone perdidimus: Et tam turpiter, ac ineptè plus studii, & diligentiae in verborum sono, quàm in sententiarum pondere adhibemus. Quid verbis opus? in quibus, vix ulla Poëtica virtutis ubera reliqua. At quæso te, ineptissime versificator, hæccine tam putida, vana, elumbia, à nostris poëtis fieret, & scriberentur, si ulla paterni testiculi, & sanguinis vena in nobis viveret: si ulla majorum nostrorum virtutum scintilla in animis nostris micaret: si ulla virilitatis, & gravitatis avorum nostrorum vestigia in nobis tam degeneribus reliqua superessent? Sanè in quibus pro dolor, paulatim mores, & sermo patrius aboliti? Vbi nemo versatur, nisi qui corrumpere, & corrumpi cupiat: Vbi omnia vitia in vita, & sermone auctoribus principe, & senatu exercemus: qui non modò licentiam vitii permisit, sed vim adhibuit, ut Romanus populus specie orationis, & carminum in scena polluetur. Quid? quod hæc tam indigna, tam inepta voce fracta, & effœminatà etiam pronuncientur. Nam hoc delubere, enerve, & solutum carmen liquidà, & tenerà voce recitatum per summam mollitiè in extremis labris,

&

& summâ salivâ recitantibus natat; & ineptum illud Poëma de Baccho, in quo insana aliqua Liberi sacerdos & furiosa Mænas, & Berecynthus Atys, est in udo, & humido linguæ, & oris, & molliter, ac delicatè recitatur. Carmen inquam plebeium, & rude, omni arte, & industriâ destitutum; nulla cura elaboratum: quod nihil ingenii, & diligentie præ se ferat: nec cum pangeretur, Poëta ejus quod scriberet accuratè considerans, caput cogitabundus scabuit, pluteum, & librorum armarium præ ira, non succedente vena cecidit, & pullavit: Et quod carmen a deo nec Poëta sui vivos unguis, inter meditandum dum intentè ipsi materiæ incumberet, demorsos, & arrosos sapit, & repræsentat; sed rude, & imperfectū, tanquam fœtus immaturus, & abortivus, & cæcus catulus à Poëta stro nullo labore adhibito profusum, ac in lucem prolatum. Hæc, & confimilia vanissimorum Poëtarum, & ambitiosissimorum oratorum, turpitudines, vanitates, & deliria tam indigna, tam inepta, cum quotidie intuear: potestne fieri à Satyris scribendis ut abstineam? Sed mirum heic rursus contra me insurges, meq; ab instituto meo revocare conaberis; & inquires: Ut vel maximè hæc cita sint, ô Perfi, ut dicis; quid tamen causæ est, cur tu alios etiam magni nominis viros reprehendendo tibi non solum odium contrahas; verum in pericula etiam te conjicias? Et quorsum attinet, te tam severa reprehensione tantaque verborum acrimoniâ in aliorum præsertim nobilium, & potentum moribus, & vitiis taxandis uti? Quid autem opus est te teneras, molles & delicatas Neronis, & reliquorum Trojugenûm

auricu-

auriculas, qui non nisi jucunda, & grata audire desiderant, invisio illo; & mordaci verò, & ingrata illa veritate, quæ odium, & pericula parit, radere, mordere, & offendere? Nostine hujus sæculi homines; nostine mores? Et quis sua vitia reprehendi, suamq; vanitatem omnibus ludibrio exponi, æquo unquam animo tulerit? *Videsis*, ô Perfi, & etiam atque etiam cave, ne hac tua Satyrica mordacitate periculum capitis tibi accersas: vel saltem ne potentibus illis, & nobilibus Romanis invisus, & infestus redditus, postmodum ad egestatem redigaris, & mendicare cogaris: *Ne forte majorum* & patronorum tuorum maledica tua confidentia irritatorum limina, & ædes tibi frigescant, nec amplius frequententur, & pateant; & nullam amplius sportulam, & centum quadrantes, dum patronos tuos manè salutas inde auferas; ubi amicitia tua renunciarint, teq; ædium, & mensæ suæ aditu prohibuerint. Sanè in verbis, ac versibus tuis summa est mordacitas, & acrimonia: *Hic* autem in domibus ditum, & nobilium, *listera* illa R. R. quæ cum canis irritata est de restrictis ejus dentibus, & *caninâ nare* exire solet, assidue *personat*. Quippe magni illi, & potentes facillimè, & nulla sæpè data causa, & occasione levissima irritantur, & in iram, & furorem excitantur, ringuntur, & stomachantur. Vnius ergo horum tibi electio datur, ut aut à Satyris scribendis imposterum delistas; aut posthac sportula careas, mendices, fortè etiam in vitæ pericula, & discrimina incidas. Itâne verò, ô monitor, ego hoc scripto meo damna, & discrimina mihi creâro? Ergo *equidem* à Satyris abstinebo: nulla Romanorum, quan-

tum-

tumvis turpissima vitia reprehendam : omnia ad-
 probabo, omnia laudabo : nihilq; caussæ erit, quin
per me. & quantum quidem ad me spectat *omnia* im-
 posterum sive bona, sive mala *proximas alba*, candi-
 da, & sincera *sunt*, & sine ulla macula, nulla labe ad-
 spersa, optima. *Nihil moror*; nihil impedio. Neminè
 quantumvis turpissimum nigra aliqua ignominia
 macula scriptis meis adficiam, nihil in quenquâ scri-
 bam. *Euge omnes, omnes*, inquam, *res bene mira*, & e-
 gregiæ *eritis*, & optimè vos habebitis. Nimirum ac-
 curate Poëta & admonitor; *hoc te iuvat*, & delectat;
 hoc tibi placet. Hic me laudas & institutum meum
 adprobas. Nam tu tantus Poëta, & Orator, & qui-
 dem Romanorum nobilissimus, *inquis*: Hæc edico
 omnibus ne quis honorem ac laudem meam immi-
 nutum eat, eamve deturpet, aut contamine: *heic*
quisquam oletum faxit, & carmina mea infami ali-
 qua Satyra deformet, aut turpitudinis nota adspers-
 gat *vero*. Nimirum versus tui ut sacri, & divini, tan-
 quam locus aliquis sacer, religiosè colèdi sunt: Qua-
 rè quod in locis religiosis, & Deo consecratis fieri
 consuevit, ne quid in illis obsceni, & parum vere-
 cundi committatur, & ut à sordibus & immundicie
 tuta sint, Genii numini *duos* dracones, *angues*, aut
 serpentes adpingunt; simulque addito interdicto
 prohibent: O vos *pueri*, locus hic religiosus, & sacer
est; & minimè contaminandus; vos *extra* hunc locum
meise, Nemo hic alvum exoneret, aut oletum faciat:
 Ita tu ad carmina tua signum aliquod adpone; & a-
 liis Poëtis interdicas ne ullo modo, vel ratione, sua
 mordacitate, & petulantia carmina tua incessant: aut
 ulla

ulla Satyrici carminis graveolentia contaminent: sed
 ab illis, tanquam profani, à sacro aliquo loco procul
 fugiant, & recedant. Nimirum ego tanquam profanus
 procul *discedo*, & taceo, & divinissima Poëtarum mei
 sæculi carmina, & mores Romanorum sanctissimos,
 & integerrimos non tango, non vitupero. At quan-
 ta hujus sæculi iniquitas, quanta autem peccandi li-
 centia, & impunitas? quo pravi mores, & vita per fla-
 gitium pessimè acta non modò nullà poena coercer-
 tur; sed illa ne verbis quidem levissimè perstringi, ac
 reprehendi fas, & tutum est. Cur autem mihi non
 liceat, quod aliis ante me impunè licuit? An non *La-*
gilus acerrimum illud scelerum, & vitiorum flagrum,
 ira, & indignatione ardens acrisale *urbem* Romani
 defricuit: Imò annon eam quasi stricto ense, *secuit*,
 laceravit, lancinavit? Sanè qui non contentus pauco-
 rum reprehensione, universam civitatem, primores
 populi, & ipsum populum tributim arripuit. Nimi-
 rum qui *te*, o Rutili *Luce*, helleonem improbum, &
 infamem famosis versibus pænè cooperuit: De cu-
 jus interitu Deos conciliù habentes introducit; quã-
 vis primarii in Rep. ducis. Quis o Tite *Muci* Albuti,
 præpotentem quidem, & nobilissimum, sed noxiù,
 & flagitiosum infami carmine acerrimè perstrinxit, et
 acerbè, ac mordaciter insectatus est: Qui te denique
 Metellum, aliosque R. eip. nostræ proceres nulla etat-
 is, & cõditionis habitâ ratione Satyrica mordacita-
 te laceravit. Nimirum illos omnes non levi morsu
 petiit, non facili ictu pupugit; sed *genuinâ*, & omni-
 um fortissimum dentem *in illis* mordendis, & dila-
 cerandis *fregit*, & omnes irarum, & indignationis ha-
 benas:

benas in illos effusè laxavit, & ad intima scelerum, & vitiorum penetravit. Scilicet uni virtuti, & ejus amicis equus & facilis, reliquis infestus, ac formidolosus. Nec inventus tamen illo vel perditissimo seculo qui dicam illi scripserit. Porrò Q. Horatius *Flaccus*, accuratissimus sui seculi morum censor in reprehendis aliorum vitiis *vaser*, callidus, & versutus, est tanta acerbitate non uteretur, mira tamen carminis urbanitate *omne vitium* & crimè, quasi ludos, jocos, & aliud agens *ridenti*, & non indignanti *amico tangit*, & ne à patrono quidem, & Mæcenate suo abstinet, què quòd tunicis ad talos demissis ambularet Malatinum, & mollem appellavit. *Et* interim dum tam cautè, & urbanè amicorum vitia tangit, ut se vix tangi sentiant, dum non rejectus, sed semel *admissus*, & receptus est, intima animi vitia tangit, & *circum ipsa praeordia ludis*, & versatur; interquè titillà dum acriter mordet & pungit: Sanè *populum* & amicos suos *excusso*, & emuncto *naso suspendere*, & urbanè, & falsè deridere, & subannare doctus, callidus, & ingeniosus artifex. Atque ita quidem liberè, acriter, & mordaciter Lucilius in Romanos etiam nobilissimos inductus est; adèò urbane, & falsè Horatius etiam amicorum vitia reprehendit, idquè impunitissimè, & nullo omnino vindice. Quo autem jure, vel injurià potius isthæc libertas mihi denegata est? Cùm illi magna libertate omnia dixerint; mène in tantà vitiorum Lerna tacere & ut Harpocrates quidam perpetuum silentium agere æquum fuerit? Cùm illi plenis buccis in Romanorù vitia debacchati sint; *mène musive*, & hircere, & submissà voca aliquid proloqui *nefas*, & piaculum

piaculum est? Mène vel leviter Romanorum vanitatem detegere tatum peccatum existimatur: idquè; *nec clam* quidem, & occultè, *nec cum scrobe*, vel fossa, cui aliorum vanitates, & vitia clanculù infusurrefn? Et ne regis quidem Midæ tō forem imitari mihi tutù, & integrù erit? Etenim cùm Midas Gordii filius Phrygiæ rex in contentione Apollinis, & Panos, uter arte canèdi alterù antecelleret, judex, & arbitër electus perperà Pana Apollini prætulisset, ab Apolline irato afininis auribus deformatus esset, illas imposita corona tegente tonfor libertus demum animadvertit. Qui cùm pœna imposita illud divulgari à domino rege prohibitus, reticere tamen non posset, nec proderè etiam auderet; scrobe & fossa facta, id quòd vidit per cannà terræ infusurravit, & dixit:

Aurículas asini Midæ rex habet.

Nasquàm te etiam mihi Romanorum vitia reprehendere, & infusurrare licitum? Et ut vel maximè Imperator Nero, & reliqui Romanorum nobilissimi, sua vitia, suam stultitiam, suas vanitates, & afininas aures detegi, & ex operto in apertum produci nolint: *Hic tamen* in libello meo, & Poemate Satyrico illorum deformitatem tanquam in scrobem *infodiam*, & infusurrabo; & illum Midæ servum imitatus de nostris Midis, qui tam accuratè de suis, & aliorum virtutibus, & vitiis tam vitæ, quàm sermonis sentiunt, & judicant, dicam, & pronuntiabo: Heus tu ô *libello*, ego hoc *vidi*; ego inquam *ipse* hoc *vidi*; & quotidie video: *Quis* nobilium Romanorum *non habet asini aurículas*; & quis Romæ non est depravato, & corrupto judicio? Hanc tectam, & occultam

cavillationem; *hoc apertum*, & secretum cavillum ego libellis meis infero. *Hoc meum est ridere*; hoc quod solutori risu, & cachinno acerbiori reprehendo, & infector: Et hoc aded *tam nil*, tam obscurum, & vile ac nullius aded momenti cum nullis Imperatoris Neronis Troicis commuto: hoc quamvis ridiculum, & ineptum *nullâ* Accii Labeonis *Ilidae tibi vendo*; illudq; pluris facio, quàm omnia aliorum Poëmata, vel apertas adsentationes; & hoc deniq; quamvis vilissimum Midæ, & aliorum iudicio, aliorum vanitatib, & ineptiis longissimo intervallo præfero. Neque enim illi qui nullas nares, sed longissimas aures habent, de me, meisq; scriptis iudicent, curandum sentio, & moror. Quid enim mirum, si stulti iudicis, stulta etiam sit sententiâ? Atque aded, quos ego meorum scriptorû lectores, & iudices omnino respuo, & contemno. Sanè, ut operis mei lectione non æquè omnes delectantur; ita neque ego quosvis ex plebe, vel nobilium, & sanctorum numero lectores admitto: Sed eos tantum, qui neque literarum expertes sunt, & veteres comicos etiam diligenter, & adfiduè lectitârunt. Te, inquam, volo, ô *quicumq;* præcos Græcos Comicos magnâ cum libertate hominum vitia taxantes nocturnâ, & diurnâ manu versasti: Tu ô *audaci* illo, & severo *Cratino*, ejusque accuratissimis scriptis, quibus mirâ libertate, & acerbitate Atheniensium vitia carpsit & profcidit, tanquam sacro furore *adflare*, imbutè, & obstupefactè: Tu etiam quiseuis *Enpolidem* vitii & flagitiis Græcorum *inatum* & infestum, *cum prægrandi*, & maturioris ætatis *senè* Aristophane Comico facetissimo, diligentissimè

evolvis

evolvis; ejusq; adfiduâ lectione, & indevicto studio tibi maciem contrahis, & *palles*: Tu, inquam, quicumque es. *hec* mea scripta etiam, & hæc meas *satyras adspice*, lege, & evolve; *si forte* in illis etiam *aliquid* reconditæ eruditionis, & consummatæ doctrinæ invenias: si in illis etiam fortassis aliquid *decedis*, maturius, & perfectius *audis*, & deprehendis: Atque ita *lector* meus *inde* ex Poëmatibus Comico- rum præcorum, quæ legit, & pervoluntarè *vaporatâ*, incensâ, adflata atq; excitata & quasi præparata *ante*, *mibi* quoque postea *ferveat*, & studiosè operam det, & cum fervore, & ardore mea scripta legat. Hujusmodi mihi lectorem, hujusmodi auditorem volo. At rudes, illiteratos, petulantes, superbos, arrogantes tanquam profanum vulgus odi, & à lectione Poëmatum meorum excludo; & arceo. *Non* enim talem mihi *hec* lectorem volo, qui in vitâ *sordidus* & impurus, rudis præterea sit & protervus. *Qui* cum vitam, mores, & sermonem aliorum meritò reprehendere nequeat, externum habitum fugillat, & irridet, & *in Græcorum* Philosophorum *crepidas*, & calciamenta *ludere*, & suâ petulantia uti *gestit*, & delectatur; & cui unum, & unicum studium est literas, & Philosophiam contemnere: Non illum & jam volo *qui* insulsus, & procax fortuita naturæ vitia, aut corporis defectum aliis objectare, & exprobrare, & *lusco* vel altero oculo capto *discere possit*; ô cocles, *lusces*; & unocule: Alios interea homines elato animo præ se contemnens; idque vel ob exiguam dignitatem: *sefe* nimirum magnum *aliquem*, & quâvis pretii vinum *credens*, quòd aliquando *Aedilis Arreti* in Thulciâ

D 2

Italo oppido *edilitatis honore* perfunctus vendentium rabiem coërcuerit, annonam curaverit, de mensurâ jus dixerit, vasa minora, & *iniquas*, & non iustas *heminas*, & mensuras *fregerit*; & ob id *supinus*, superbus, & elatus. *Nec* illum denique volo, *qui* sibi *vaser*, lepidus, & urbanus videtur, dū Arithmeticos, Mathematicos, eorumque *numeros abaso*, vel mensæ in scriptos, & Geometrarum *metas*, & figuras *in pulvere secto*, & virgâ Geometricâ diviso *salse irridere*, & ad imprudētiam impudentiam adjungensilla quæ non capit carpere scit, ac didicit: qui ex nullare honestâ ac laudabili voluptatem capit, sed tum demum *multum ridere*, & in cachinnum dissolutè effundi promptus, ac *paratus* est, *si lasciva, petulans*, & diobolaris aliqua meretrix *nonaria* (quæ à nonâ demum horâ prostat, ne prius juventutis Romanæ tam honesta studia impediatur) Philosopho aliqui *Cynico barbæ* procaciter *vellat*, & petulanter insultat, alijsque deridendum, & exagitanum propinet. Hos ego omnes & singulos virtutis, honestatis, litterarum, ac Sapientiæ stolidos, ac insulos contemptores, impudentissimos scurras, petulantissimos ardeliones, meorum carminum lectores recuso, & repudio; & præmonitos heic volo, ut ab operis mei sectione facestant; indigni nimirum quibus res honestæ, ac utiles ridendæ proponantur. Sed *his* mandando, ut *manè edictum* Prætoris ob culpam, æs alienum vel animi gratiâ audiant: *Post* horam autem nonam & *prandia* his famosam illam meretricem, *Callorhœon* & turpissimas corporis voluptates persequendas *do*, & concedo; & ab omni honesto exercitio, imprimis

mis Satyricorum scriptis, quibus eorum vita & mores flagitiosissimi fortè emendari poterant, abstinere jubeo.

IN SATYRAM II.

PARAPHRASIS.

BENE habet, ô Ploti *Macrine*, amicorum candidissimè! Nimirum optatissimus & felicissimus ille natalis tuus tandem illuxit. Tu verò *bunc diem meliore*, & candidiore *lapillo*, & calculo *numera*, & inter vitæ tuæ dies auspiciatissimos recense. Quamvis enim universâ tua vita feliciter, & fortunatim hucusque tibi cesserit, & transacta sit; eo quòd tu illam rectè vivendo, laudabiliter egeris: tamen hodiernus præ cæteris imprimis tibi felix & auspiciatus est; quo quidem tu olim homo natus es, & in diâs, & vitales auras prodiisti; *qui* itidem *candidus*, felix, & auspiciatus hujus anni spacium superioribus adjungit, & *labentes*, lubricos, & fugaces *annos tibi* addit, vitæque tuæ *adponit*; & illam denique huc usque tam feliciter provexit, ut hodie cum amicis lætari, & animum relaxare possis. Quare quod felix, faustum, & fortunatum sit, tibi que bene, ac prosperè vortat, hunc diem læto, & lubenti animo celebra; hoc tuo natali frontem exporrigere, Deo natura, *Genio* tuo, in cujus tutela natus es & vivis sacrificare, *merum funde*, thure, & flore supplicare, ut tibi hunc tam auspiciatum diem multis annis felicem, ac lætum referat, iteret, ac reducat. Tu enim, ô *Macrinæ* (si bene te, tuosque mores novi, & perspexi) ho-

neſtâ potiùs mente, & rectâ voluntate, quàm ſumtu-
oſiſſimis ſacrificiis, & Hecatombis Deum colendum
exiſtimabis. *Non enim in* aliorum hominum ſimilis;
maximis muneribus, & ingentibus ſacrificiorû im-
penſis, quodcunque tandem animo libitum, etiam
inhoneſta, & turpia à Diis redimere, & impetrare
ſtudes: nec *prece* multis hoſtiis, & eximiis donis De-
orum obſequium emere ſtudente, & *emac* illa à Diis
immortalibus, ut nunc multi. *poſcis*, & exigis impia,
ſcelerata, iniqua, *qua niſi* pernicioſis, *ſeductis* & tan-
quam malis iudicibus muneribus corruptis, *Deus*
tutò, & ſalvâ fronte *committere*, & aperire *nequeas*.
Tu enim in hac Romanorum ſæce, & illuvie ſolus
ferè; qui ſimplex, & ingenuus, qui rectus, integer,
câdidus, & ſincerus nihil Deum roges, niſi quod ro-
garè poſſis palam; qui ſic vivas cum hominibus tan-
quam Deus videat: ſic loquare cum Deo tanquam
homines audiant. *At* longè aliter Romani noſtri di-
vites, & nobiles: Noſti noſtræ etatis depravatos mo-
res, noſti improba vota. Sanè magna & *bona pars pro-*
cerum, & nobilium Romanorum *tacità acerrâ*, &
thuris arcula ſubmiſſâ, & ſuppreſſa voce *libabit* Deû-
que orabit; idque ob hanc cauſſam, ne eorum impia,
& nefaria vota à circumſtantibus exaudiantur. Eo enim
impietas, et dementia hominum jam proceſſit;
ut Deos precaturi, remotis arbitris in ſecretiorem
locum aliquem ſecedant, ibique turpiſſima, & ſcele-
raſiſſima vota Diis etiam inſufurrant; quibus ſi quis
hominum aures admoverit, cõteſcunt; atque adeò
quod ſcire hominem nolunt, illud Deo narrare, &
committere non reformidant. Sanè *non cuivis* facilè,
& in

& in præclivi, haud cuivis *promptum* ac *probum eſt*.
tacitum *murmur*, & *humiles* illos & ſubmiſſos *ſuſur-*
ros de votis, & oratione ad Deum in *templis tollere* &
auferre; & omnibus cupiditatibus liberum, & ſolu-
tum nihil Deum rogare, niſi quod rogare poſſit pa-
lam; adeòque juſtas, et honeſtas preces altâ, & clarâ
voce, ut à quovis exaudiri poſſit ad Deum cõcipere,
& *aperto* omnibusque; cognito *voto vivere*. Dignum
profectò, operæque pretium conſiderare flagitio-
ſam horum, & perditam hypocriſin; qui cum pravis
cupiditatibus, & injuſtiſſimorum etiam deſiderio
vel maximè flagrent, illud tamen agunt, ut boni vi-
deantur. Nam honeſta, & juſta, ut ſunt *bona mens*,
ſanum corpus, honeſta *fama*, recta *fides*, vitæ ſancti-
tas, & integritas, & illa adeò, quæ quis ſalvâ fronte
quibuſvis arbitris orare poteſt; *hæc*, inquam, *clarâ*, &
altâ voce cõcipit, ac ita pronunciat, *ut hoſtes* vel qui-
libet præteriens ignotus illa *exaudiat*. At contrâ illi-
cita, turpia, flagitioſa, impia, & *illa* adeò, quæ vir ho-
neſtus ſalvâ fronte vix audire ſuſtineat, ſecum muſi-
tat. *sibi* in animo *introrſum* dicit, & exaudiri metuens
labra movet, & *ſub lingua inſuſurrat*, & inſufur-
rat. Sic enim tacitus orat: O Iupiter. utinam brevi ad
magnas opes, & facultates perveniam: *O ſi* cogna-
torum meorum divitum aliquis moriatur, meque
bonorum ſuorum hæredem relinquat: *O ſi* *patrui*
mei prædivitis opimum, opulentum, & *præclarum*
ſuum propediem velut aqua fervens extra lebetem
redûdat, & effunditur; ſic domo mortuus foras *ebul-*
liat, & efferatur, meque ampliſſimo patrimonio
lautum, & beatum reddat: O ſi angulus ille vicini

mei proximus, qui nunc agellum meum denormat, & inæqualem reddit, tandem aliquando ad meum accedat: O si qua fortuna dextra, & benivola thesaurum mihi monstrat: *et o si* inter arandum, dum terram inverto *seria*, & oblongum aliquod fistile vas auri, & *argenti* plenum inventum *mihi sub rastro dextro* & propitio *Hercule crepet*, & sonitum optatissimum edat: *vel* saltem *utinam pupillum*, & orbem illum puerum, qui me in testamento prior (quippe cui in secundâ cerâ proximè *heres* substitutus sum, & *quem proximus* insequor, & *impello*) de statione suâ mortuum dejiciam, & detrudam; eique suffectus eum è testamento ceris *expungam*, & deleam: Præferim cum sit valetudinarius, & continuis morbis obnoxius. *Namque est* mirè *scabiosus*, & morbidus, *et acris*, ac vehemèti *bile* suffusus *sumet*, & inflatus est, ut brevi eum moriturum anxie sperem. Aut si hoc abs te, ô bone Iuppiter, impetrari nefas; illa saltem beatitudo & felicitas mihi, quæ *Neris* fæneratorilocupletissimo, contingat: Quippe cui *sam tertia uxor conditur*, & ad sepulcrum effertur; & qui tot uxorum morte, & dotibus locupletatus, ditissimus, & beatissimus evasit: cum ego contrâ superis odio, & invisusne unam quidè sepelire potuerim. *Hæc* & cõsimilia impia, flagitiosa & turpia vota, quæ etiam homo improbus audire erubescat, Deo tuo narras: quin etiam quoties illa Iovi Deorum summo infurrare cupis, *ut* illa tam scelerata, & indigna ab illo *sanctè*, & piè *poscas*; *mane caput* tuum in *Tiberino gurgite*, vel flumine *bis tæve mergis* vel abluis, & *noctem*, quâ impurus, & profanus cum uxore tuâ, vel

quo-

quovis etiam scorto turpiter concubivisti, teque *Venerè* commaculasti, *flumine* & Tybridis undâ *purgas*, & abstergis: ut castè nimirum, & purus Deum adeas, res adeò honestas nimirum, & sanctas ab illo petiturus. Quia enim lex castè Deos adire, & hesternâ *Venerè* inquinatos procul abesse jubet; tu nimirum animi labem, quæ nec dierum numero tolli, nec maribus, aut annibus ullis elui potest, levi aspersione aquæ tolles? Sed *heus*, tu homo impie, stolidissime, & improbissime *age responde* mihi quod rogo; non diu te detinebo: *minimum est* quod ex te cognoscere, & *scire* summopere *laboro*, & expeto: *Quidnam de Iove*, Deorum omnium summo, optimo maximo, à quo ista petis. statuis, & *sentis*? *Estne* Iupiter tibi tanti, estne à te in tanto honore, & precio habitus, *ut hunc cuiquam* alii vel Deorû, vel etiâ hominû justitiâ, virtute, & honestate ausis præponere, aut quoquam mortalium meliorem, & excellentiorem existimare cures, & cupias? Immo *visne* ipsû vel *Stajo* antepondere, homini sceleratissimo; qui tutor pupillaris iniquissimus, qui iudex pessimus; qui in Iuniano iudicio, & consortio sedit; quæ corruptus pecuniam à reo & accusatore accepit, & utrumque decipit, & innocentissimos condemnavit. *An tu scilicet* adhuc Iovem Stajo antepondere cunctaris, & dubitas? An adhuc, *quis* inter Stajum, & Iovem *potior*; & *justior index*, & pupillis vel orbis *pueris aptior*, utilior, & fidelior tutor futurus sit, *heres*. & ambigis? Sanè nemini sano dubium esse potest, Stajum iudicem, & tutorem esse iniquissimum, & corruptissimum; Iovem, quantum fieri potest, optimum, & justissimum,

ac proinde hunc ipsi immenso, & infinito intervallo esse anteponendum. Iam *igitur agetum hoc votum tuum tam sceleratum, impium, & nefarium, quoniam Iovis Dei optimi, maximi, justissimi sanctissimam aurem impellere, obtundere, & aggravare tantis, die huic Stajus iniquissimo, & perditissimo iudici: Ibi verò Stajus, quamvis sceleratissimus votorum tuorum nefaria impietate, iniquitate, & turpitudine irritatus, ac incensus exclamet necesse est: Pro Iupiter! O bone Iupiter, audisne hæc & pateris? adhuc tua tonitrua, tua fulmina in hibes? O cælum ô terra! ô Neptuni maria, quæ hominis illa impietas, quam inaudita iniquitas: quàm incredibilis, & atrox malitia! Hæc, inquam, & atrociora adhuc homo sceleratissimus auditâ votorum tuorum nefandâ turpitudine exclamabit: At nunquid Iuppiter Deorum ille sanctissimus, & justissimus semetipsum non ipse inclamet? nōnne summâ indignatione ob preces tuas tam iniquas commovebitur? Et nunquid hæc vota tam impia, & nefaria non aliquando puniat; & incredibili tuâ malitiâ, & impietate permotus in ire, & vindictæ rabiem effervebit? An verò putas Iovem hisce tam nefariis votis ignovisse, & improbitati tuæ veniam dedisse, eo quod te non statim punit, & fulminat? Quia cum ille tonat, & horribilia sua tonitrua, & fulmina in inferiora mortalium detorquet; longè nimirum citius, & ocyus illex aliqua alta, & glandifera; aut annosa, & sublimis aliqua quercus; vel mons aliquis arduus, & excelsus, igne fulminis sacro, et cælesti sulphure fumante, & redolente adflatur, ac discutitur; quàm tu homo sceleratissime, & domus tua?*

An

An quia non statim Iovis fulmine ad orcum adigeris, nec in lucis, aut Deo alicui consecrato factio nemore triste aliquod, & evitandum, nec sine piaculo tægendum bidentalis; locus nimirum fulmine tactus & percussus, & ovium bidentium fibris, & Ergennâ auspice, & sacerdote fulgurû cōditore jubente expian dus jaces: idcirco omnia in Deo tibi impunè licere exiltimas? Ideo ne Iovem deridendum & illudendum tibi propinas? Ergo ne Iupiter tanquam stultus, & ineptus stolidam suam barbam per summum contemptum, ludibriû, & contumeliam tibi vellere, & quovis modo pro libitu tractare præbet, & permittit; ut tam injusta, tam indigna ab ipso petere non erubescas? Aut quidnam tandem est quod te adeo securum, & pertinacem reddit? aut quo tandem tu pretio, quâ mercede Deorum auriculas tibi emeris eaq; tibi obnoxias, & obsequetes reddideris, & ad vota tua tam turpia inclinaveris ut tibi nec irasci nec denegare aliquid audeant. Nunquid hoc magnificis sacrificiorû impensis, aut victimarum opimarum pulmone. lactibus, & intestinis unctis, & pinguibus præstitisti? Quidquid etiam tibi persuaseris hominum sceleratissime; hujus tuæ impietatis pœnas gravissimas persolves; & hoc certissimè futurum quondam experieris Deorum pœnas fortasse seras, nequaquam irritas fuisse. Quid de perniciosis pariter, & ridiculis mulierum & anicularum votis referam, & illis quæ nutrix, aut Pædagogus, aut mater infantibus exoptant & precantur. O quàm inimica illa vota; & eo quidem inimiciora, quo cessere felicius! Iam non admiror si omnia nos à prima pueritia mala sequantur, inter exc-

exsecrationes parentum, & nutricum *excrevimus*. Quid enim vota illorum aliud? *Ecco enim avia delira, & decrepita, & matris soror matertera. Divum mæuens, & superstitiosa, puerū parvulū adhuc, & nepotē infantem cunis exemit, & ante quā vota pro eo concipiat, primū ejus frontem, & labella, saliva continuū infanti fluente uda, & humida, infami mediōve digito, jejunæ salivis lustralibus, & expiantibus tingit, inficit, & expiat; docta nimirū & perita artifex fascinationes, & incantationes impedire; & veneficos urentes, & virulentos intuentium oculos, qui vel solo adspēctū nocent, inhibere. & avertere.* Tunc ubi his superstitiosis, & ridiculis ritibus, & ineptiis usā, pedibus terram pulsāt, *manibus quatit*, caput vibrat; nec vera bona, virtutem & probitatē; sed leviculā tātū, & falsā, ac plerunq; noxia, opes tantū, & pulcritudinem illi à Diis immortalibus exoptat; & *spem macram*, miseram, dubiam, & incertam voto & precatione supplicō concipit; eamq; *nunc in Licini* tonforis liberti Augusti Imperatoris, opulentissimi *campos*, & latifundia; *nunc in Licini Crassi* suo tempore Romanorum nobilissimi, & locupletissimi *ades mittit*, & puero suo omniū ditissimorum opes, & facultates exoptat. Nec divitias solum, sed formam etiam & pulcritudinem corporis alumnis suis sollicitē precantur: & talia vota concipiunt: Hic puer juvenutis Romanę venustissimus, & formosissimus evadat: Hunc puerum nemo forma, & pulcritudine corporis antepolleat: Hic propter eximium corporis decorum, & egregiam formam in maximorum principum augustissimas familias adsciscatur: *Hunc* Imperator

rator Romanus, *rex & regina generum*, & filia maritū sibi exoptēt; hujus amicitiam, & adfinitatem nobilissimi, & opulētissimi quique certatim ambiant: De hoc virgines, & puella Romanæ inter se contendant, & litigent; hunc unaquęq; sibi maritum postulet; *hunc rapiant*; & violenter occupent, & auferant; & ad suam consuetudinem & stupra alliciant, adeoq; *quidquid hic vel calcaverit*; ubicunque vel pedem poiuerit, exinde flos pullulet, & rosa fiat, & enascatur. At quā incepta, & ridicula hæc vota! quā noxia verò, & perniciosa! & eo quidē perniciosiora, quo respondere promptius! Illa enim quę delirę illę aniculæ tā sollicitē, & anxie nepotulis & alumnis suis exoptāt, bonōne illis, & cōmodo; an fraudi olim, & exitio futura sunt? Sanē plures invenias, quos summe divitiæ, et eximia corporis forma in perniciē precipitarit, & pessundederit, q̄ quibus maximopere profuerit. Ego verò hæc vota noxia, impia, & perniciosa, ac nequaquā concipienda superstitiosis illis aniculis, & *nutrici* mei vel cuiusvis infantis nequaquā mando: Tuq; adeo, o *Jupiter*, Deorū opt. & max. qui optima nobis mortalib. eligere, optima etiam mortalib. dare novisti; hæc tam ridicula pariter, & damnosa *ipsi* aniculæ, aut *nutrici* de *negato*, nunquam illis annuito votis, sed furdīs auribus ea, quantū potes, præterito; *quamvis* vel maxime pia, & religiosa sacrificantium more, puris, & cādidis vestibus induta, & *albata te rogaverit*, & pro alūno suo intercesserit, tuāq; opem imploraverit. Quāta porro, & quā ridicula illorum infania, & demētia est! qui bona, quę à Diis votis exoptant, illa vitā, & factis rejiciunt, & repudiant: et Diis illa, quę expetunt,

expetunt, abundè, & promptè offerentibus flagitiosè resistunt: qui bonam corporis valetudinem summis à Deo precibus contendunt, et eandem gula, crapula, et incontinentia turpiter corrumpunt, et omnium generis morbis, immatura senectà, et morte ipsa flagitiosè profligant: qui opes, et facultates, quas improbis votis à Diis exoptarunt, et impetrarunt, superstitiosis, et vanis sacrificiorum sumptibus atterunt, et perdunt. Quid autem hoc tuo voto ineptius et stupidius? *poscis* à Diis immortalibus, et exoptas corpori, lacertis, et *nervis* tuis robur, firmitudinem, *opem* & vires: *Et senectà* ultimæque vitæ tuæ ætatis *corpus fidele*, firmum, & validum. *Age esto* sanè hoc: nihil contradico. Quidni enim valetudinem, & sanitatem petas, qua nihil præclarior à Diis immortalibus humano generi dari potest: quippe sine qua mortaliū vita aut nulla, aut misera, et ærumnosa: *Sed dic* mihi hominum stolidissime, quo modo, qua ratione corporis valetudo tibi à Diis dari, et attribui potest, qui eam respuas, et recuses, dum omnibus modis, et rationibus eam perdere, et corrumpere niteris? Nam ut vel maximè Dii votis, et precibus tuis, quibus sanitatem, et corporis robur exoptas, munes, et promitti inveniatur; tu ipse, quo minus optata consequaris, impedis. Nam *grandes* variorum obsoniorum *partina*, nimis illæ epulæ, et regales dapes, & *tucera*, et fercula principum pingua, et *crassa*, intempestiva cōvivia, commestationes, ingurgitationes, et illa aded, quibus corporis vires non reficiuntur, sed debilitantur, et quæ vel in ipso ætatis flore te ad Orcum detrudunt; vel saltem effæctum, et infirmum corpus

senectū-

senectuti tradant, Deos *superos* his votis tuis *annuere*, impediere, & *vetere*, & *Iovem* quo minus hæc tibi donet, prohibent, et *morantur*. Neque enim nisi volentibus bona tribuit. Eiusdem omnino vesanæ dementiæ est; cūm locupletari, et ditari à Diis expetis, et universas tuas opes; in sacrificia stolidissime profundis: Cūm *bove caso*, et opimis, ac splendidis victimis, et hostiis immolatis Deos placare, tibi amicos reddere, facultates tuas, et *rem familiarem struere*, & augere, et coacervare *exoptas*; *Mercurium* qui mercibus, lucro, aut quæstui præsidet, victimarum *fibrà*, extis, et intestinis pinguis *arcesis*, et hisce vocibus invocas, et imploras: O Mercuri, qui das, et adimis opes, et divitias, quibuscunque volueris: qui sanctè semper à me cultus es, semper coleris, concede mihi, ut omnia domi meæ fortunatim, feliciter, et benè eveniant: *Da Penates*, domum, et rem meam familiarem *fortunare*, meque felicem, et beatum reddere: *Da* mihi omnium generis *pecus*, et armenta: *Da gregibus* meis fecunditatem et multiplicem *fatum*: *Da* copiam cornu, et omnium rerum affluentiam. At dic mihi, ô insane, stolidissime, et *pesime*: *Quo pacto* tu illa exoptas, quæ omnibus modis à te rejicis? *Qua ratione* tu illa possidere desideras, quæ perdere studes? *Quo pacto* Mercurius divitias tuas poterit augere, quas tu data opera studes imminuere? Et qui denique à Diis greges, pecus & armenta expetis; imò quomodo illa à superioribus tibi dari possunt, cūm quotidie *tot juvenum*, tot juvenicarum, & boum exta, *omenta* & intestina *tibi in flammis* inter sacrificandum *liquefiant*, et con-

consumatur? O insanā dementiā! o dementē insanā!
At operæ precium confiderare, quā intereā pertinaciter in hāc suā stultitiā, & insanā perseverent.
 Quantvis enim *hic* insanis hisce sacrificiis, ac victimis ad summam inopiam se quotidie redigi videat, imò jam ad extremam paupertatem redactum sentiat: *tamen* sacrificiorum suorum impensis, *exis*, & victimis pinguibus, & *opimo* libo, & *farto* Deum superare, & *vincere*, sibi quæ obsequentem reddere *intendit*, & sibi proponit; inque hoc proposito pertinaciter perseverat; & se intereā vanā spe, & hisce verbis consolatur: *Iam* res mea familiaris augmentum sumit; jam *ager* meus *crefcit*, jam seges incrementa capit; jam *ovile*, greges, & armentum meum fecundū, & fertile, *crefcit*, & multiplicatur; *jam dabitur*, quod tanto tempore petii; *Iam iam* Dii me respicere, & res, opeſque meas amplo lucro auctare incipient. Et hac quidem inani, & miserā spe, se tam diu consolatur, *donec* frustra expectando, & Deorum opem nequicquā implorando nulla amplius ipsi spes, nulla res reliqua sit, sed tot sacrificiis frustra Deos fatigando omnem gregem, universas res, & facultates attriverit, & absumpserit; & seram in fundo parsimoniam nequidquam exerceat; & *nummus* in arcæ, vel loculi, iam planè exhausti *imo*, & inani *fundo* relictus, jam *deceptus*, deploratus, & omnino *exspes* frustra *suspiret*, & *nequidquam* ingemiscat, nunquam valetudinem, robur, & augmentum recepturus: Et dominus ejus ferò, ubi jam ad extremas incitas redactus, & nihil spei reliquū habet, frustra Deos sacrificiis fatigare desinat, & rectius sapere discat. At quidnam

nam hoc mali obsecro? Quid autem sibi vult hæc incredibilis hominum insanā; hæc pernicioſa superstitio? Vnde denique demens illa, & stolidā opum & facultatum in Deorum sacrificia, & victimas profusio? Si accuratius, & penitius rem confideres, & introspicias, ex nullo alio fonte quā quod homines Deos sibi similes existimant, & Deorum voluntatem, ex sua cupiditate metiuntur: Quod non modò omnis impietatis, verum superstitionis, etiam una atque unica causā est. Quia enim homines donis & muneribus captam, ab iis quæ quidquid volumus impetramus, ita Deos quoque muneribus capi, & auro, ac donis non minus ac ceteri mortales adfici, ac delectari credunt. Si enim magnos *argenti crateras*, & pocula, & amplissima *dona*, ac munerā *pingui*, crassoque *auro incusa*, & in asperitatem cælata, & sculpta, & preciosissimis gemmis ornata donem *tibi*, ac offeram: Ibi verò videre est, quòd tu homo cum sis, præ nimio gaudio, & lætitia *sudes*, & incalescas, *atque* aded in *levo pectore*, ubi cordis sedes, quòd tam insperata felicitate vehementer palpitet, & trepudiet sudoris, & lacrumarum *gustas excutias*; eo quòd certum sit *cor* tuum nimio adfectu & cupiditate *prætrepidum*, & subsultans *letari*. Hinc illud insanæ dicam, an superstitionis, & impietatis animum tuum *subiit* & invasit, quòd Deos etiam donis, & eximiis sacrificiorum impensis corrumpere, & tibi obsequētes reddere studes: hinc illud quòd in templis *sacras* Deorum fictas, aut sculptas *facies* prædato, triumphato, & *ovato auro*, quod hostibus devictis è spoliis, manubiis, et præda in triumphum

abovantibus, & lætantibus victoribus ducta, collectum fuit, *perducis*, & inauras: nec oblinis modo, verum etiam ex solido auro facis, Deosque tuos totos ex illo stude effingere. *Nam inter Deos illos, & ænos fratres*, quorum similes, & velut fratrum æneæ statuæ in Pantheo Romæ visuntur; si *quis* vera in *omnia*, & vitiosis humoribus, & *pituitâ* (quâ cum caput oppletum, ut in gravedine, fallacia & inania visa observanter) carentia, *purgatissima*, & sincera tibi *mittunt*, aut saltem immittere credatur: illi tibi omnium Deorum maximi, & inter omnes *precipitibi sunt*, ac habeantur, & *aurea illis barbasi*, & tota illorum facies à te inaretur, necesse est. Nimirum hinc tot aureæ, & argentæ Deorum imagines: hinc tot signa, tabulæ, peristromata, vestes, candelabra, tripodes, cortinæ, lychnuchi penfiles ex auro, & argento: Hinc denique omnia aurea in templis visuntur: atque *aurum* adeo sacratissima illa religiosissimi *Numæ Pompilii vasa* fictilia, & simpuvia, et *Saturnia* illa prisca, & sanctæ *ære* vascula, quorum auro sæculo, cum nihil auri uspiam inveniebatur Saturno regnante in sacrificiis usus erat, *impulit*, & è templis expulit & profligavit: & *urnas* fictiles, quibus *Vestales* virgines utebantur, & omne *Thuscum fictile* nobilissimum, & artificiosissimum auro *permutat*: Ut jam mirum videri non debeat, quod fictilibus vasibus olim aurei homines; nunc fictiles & lutei homines aureis vasibus sacrificare solent. Quasi verò Dii ex auro, ebone, & argento duci & fingi possint: vel illis gaudeant, & delectentur: nec animi potius sinceritate, rectâ mente, honestâ voluntate, vitæ integritate

tegritate capiantur. O stolidi, atque anili superstitione fanatici homines, ô *animæ* hominum *in terras*, humana, & mortalia abjectæ, cernuæ, pronæ, & *curva!* ô mentes bardæ, stupidæ, ignaræ, & ignavæ! ô verè rerum divinarum, & *cœlestium* expertes, vacuæ, & *inanes!* quæ quidem nihil nisi terrena, caduca, & ex materiâ elementari conflata animo concipere possitis: quæ nescio quâ ignorantia cogitationes, & cupiditates vestras à divinis, & æternis revocatas, pecudum ritu, quas natura pronas finxit, & in ventrem prostravit, in terram abjiciatis, & res tam humiles, & contemptas, quæ ex vestris turpibus, & corruptis ingenii Deorum animos metiamini, ex vestris perditis & depravatis moribus Deos judicetis, & spectetis: illosque optimos, maximos, sanctissimos juxta vobiscum perditos, malos, & depravatos existimetis. Quid si, ô miserrime, pessime, stultissime, Deos propitiari, eis que acceptus, ac gratus esse studes, non illorum statuas fictiles, & æneas auro; sed animum tuum malum, & perditum virtute, & sanctitate permuta: non illorum effigies, sed mentem tuam exorna; non Deorum templum, sed animum, & peccatum tuum, ab omnibus pravis adfectibus; malâ cupidine, irâ, invidia purgatum exhibe; teque ipsum Diis inhabitandum præpara; & Deos denique liberalitate, clementia, beneficentia, justitia, sanctitate tibi emulandos, propone: Sanè satis Deos coluit, quisquis imitatus est; adeoque optimus animus pulcherrimus Dei cultus. *Quid* autem ad rem pertinet Deos immortales ex depravatis hominum animis existimare? *Quid juvat hos nostros mores* perditos & sceleratos *templis* Deorum inferre, &

immittere, & non potius inde efferret? & quia nos in
 fanâ avaritiâ, in explebili auri, argenti, opum, & facul-
 tatum desiderio tenemur, donis & muneribus cor-
 rûpimur, & flectimur; idem nobis de superis, & coe-
 lestibus persuadere; & Deos iisdem, quibus homines
 adfectibus tangi, existimare? Quanta deniq; in lâna
 'Dys immortalibus *bona*, grata, & accepta *ex hæc pul-
 pâ* corporis, & carnis nostræ *sceleratâ*, nullis non ad-
 fectibus pravis obnoxia; nullis non sceleribus, & fla-
 gitiiis contaminatâ *ducere*. & judicare? Diis inquam
 sanctissimis, & ab omni labe alienis. *Hæc* pulpâ, & ca-
 ro nostra mala, vitiosa, & scelerata omnium vitiorû
 & scelerum una nobis, & unica causa existit: Quibus
 enim, & quantis sceleribus hæc se quotidie polluat
 & maculet, quis non indies videt; imò quis non ex-
 peritur? Hæc nos avaritiâ jactat irâ versat, libidinibus
 exagitat, voluptatibus, & desiderio rotat, & inque-
 rat, hæc una tot homines exercet; huic uni oestur-
 pissimè obsequimur, & infervimus; hæc sui curâ ho-
 minem anxium, & sollicitum habet: hæc turpissima,
 ad sui pulcritudinem, & decorem varia medicami-
 na, & unguenta excogitavit; hæc ut splendida cuti-
 cula niteat, unguentis, & preciosis odoribus fucum
sibi accersit; & *corrupto olivo*, & vitiato odoribus oleo
casiam, cinamomum, & alia aromatum genera sibi
dissolvit, & diluit: Nec contenta cutem tanta sollici-
 tudine curasse; innumera etiam vestium ornamen-
 ta adhibuit, & *vellus Calabrum*, aut Tarentinas lanas
vitiatas murice, & conchylio fracto, & cocto, quo pur-
 pura tingitur, *coxis*, & colore buccino, Pelagio, By-
 sino, coccineo infecit: Nec satis ei visum turpe illud

&

& flagitiosum corpus tot colorum, tot vestimento-
 rum illecebris condecorasse, quin gemmas etiam, &
 aurum ei appendere monstravit; & *baccam*, margari-
 tam, & uniones marinæ *concha rasisse*, & extraxisse, &
 vestibus in ornamentum corporis inferere, & auro
 includere docuit: *Hæc* denique per incredibilem lu-
 xuriam, & avaritiam etiam intima, & abdita terrarum
 penetrare, inde argentum, aurumque effodere, ter-
 ræ venis eruere, igni excoquere, & *ferventis* aureæ
massæ venas de crudo, & nondum in fornace excocto
 terræ *pulvere stringere*, & in unum conflare, & ve-
 stibus intexere, & corpori ornamentum adhibere
justis. Quid verbis opus est? hæc caro nostrâ peccat,
 & omnis mali, & miseræ causa nobis existit. Hæc
 nos à Deo avocatur, & mundanis immerfos non nisi
 quæ ad corpus spectant curare; & animi bona con-
 temnere docuit. *Hæc* inquam *peccat* & in ignavis, &
 rudibus nostris animis malè de Diis opinari, & sente-
 re, eosq; ex nostris moribus, nostris ingeniiis specta-
 re docuit. Et quamvis *peccat*, *vicio tamen utitur* & suis
 peccatis, & miseris (quod omnium malorum ultimi-
 mum) delectatur. *At vos* ò Romani summi, & maxi-
 mi *Pontifices*, quos æquum, & fas erat Deos immor-
 tales rectius cognoscere, & colere, nihilo rudi illâ
 plebeculâ, & vulgo sapientiores, *dicite* mihi, & rati-
 onem reddite, *quid* nam in templis Deorum immor-
 talium *aurum facit*, & cui rei prodest? Quid nam *in sa-
 cro* sibi volunt aurea illa, & argentea donaria, illa va-
 sa, illæ mensæ, & lampades, illa malluvia, illa vestimē-
 ta, illæ coronæ, illæ statuæ, & colossi, illæ imagines, &
 picturæ, ex puro & puto auro? *Nempe* hoc sibi volūt,

quod figillaria, quod *puppa*, & imagunculæ puellarum, quibus puellæ ludunt a *virgine*, jam pueriles ineptias relicturâ, jam virginitati valedicturâ, & nupturâ, ex more *Veneri donata* & consecratæ, ut fortunatim, & feliciter futurum matrimonium cedat: aut hoc etiam quod bullæ à pueris jam pueritiam egrefsis Laribus suspenfæ. Sanè nec Venus ridiculas illas imagunculas sibi donatas, nec Lares bullas sibi consecratas curant: quib. puellæ, & pueri maxime delectantur: ita nec Dii immortales auro, & argèto saepe per scelus, & fraudes adquisito: & quod tamen stultis, & miseris mortalibus vita, & anima. *Quin* potiùs homines nos Deos immortales debito honore, & cultu prosequimur: quin eos sanctâ religione, verâ pietate, & iustis precibus colimus: quin potiùs eos vita integra, & honesta morû sanctitate, & innocentia, quàm contaminata superstitione, & scelerato auro, & argento placandos censemus: & *illud* adeo *sUPERPERIS DAMUS*, & in sacrificium offerimus, *quod* nec vulgus, nec omnes divites, & nobiles, nec vitiosis oculis *lippa*, & cæca *propago*, ac progenies illa degener *MAGUS*: Aurelii *Messalla*, qui septies consul fuit, Cottâ ille Messalinus majoribus suis indignus, malus, & turpis, *de magna*, & divite *lance*, de latis, & profundis vasibus Diis *dare*, & offerre *non possit*: Quæ illa quæritis? Nimirum optimum animum, cor sincerum, puram mentem, rectam voluntatem, honestas cogitationes, *ius & fas animi*, cum omni iustitia, & sanctitate conjunctum, & *compositum*; & abditâ illa, & secreta animi & cordis adyta, et receptacula ab omni macula, labe, scelere pura; profundos illos &

intimos

intimos *mentis* anfractus, & *recessus sanctos*, et puros, & *pectus* candidum, & sincerum, purum & defectatum, & omni virtute, pietate, integritate non leviter tinctum, sed planè, & plenè imbutum; Atque adeo non secus ac vellera, vel lana colore imbuuntur; sic nobili illo, & *generoso, honesto*, coloratum, imbutum, *incoctum*. Hoc verum est Deorum immortalium domicilium: hunc animum, hanc mentem, hoc pectus, hoc genuinum templum Deus inhabitare gaudet: Tu verò quisquis es, hoc sanctum pectus, hanc pietatem, & integritatem, hanc rectam voluntatem Dei cultum pulcherrimum, Deo hostiam gratissimam, *cedo*, & exhibe mihi, *ut templis*, & aris Deorum immortalium in sacrificium offeram, & *admoveam*; & *farre*, & fictili, molâ falsâ, & re vilissimâ ritè etiam sacrificabo, & *litabo* Deo quæ gratissimus & acceptissimus ero. Grave enim foret, & divinæ majestati indignum, si Deus ad donaria potiùs, & sacrificia nostra respiceret: quàm ad animum, utrum iustus, purus, sanctusque sit. Ad quem sanè Deus magis attendit, quàm ad multi sumtus pompas, & sacra; quæ nihil prohibet hominem maxime impium, flagitiosum, & sceleratam quotannis plurimâ perficere: Deus autem impiorum donis, ac muneribus incorruptus spernit hæc omnia. Adeoq; boni quamvis pauperissimi, vel maxime exiguis sacrificiis Deo grati semper & accepti sunt: Mali verò impietatem non effugiunt; nec Deorum gratiam, veniam, misericordiam impetrant, quamvis aras sumtuosissimis Hecatombris, & sanguine plurimo cruentaverint.

IN SATYRAM III.

PARAPHRASIS.

INTER alia vitia, & scelera, quibus hoc nostrum sæculum, hæc nostra ætas, si quæ unquam alia valide ferox, & ferax est, juventutis Romanæ malitia, & ignavia non ultima, neque extrema est; quæ quidem eo impudentiæ, & audaciæ progressa est, ut omni virtute, & honestâ disciplinâ contemta et relicta vitiiis & flagitiis in solidum sese manciparit. Quis aut flagitiosam illius desidiam, & ignaviam; incredibilem ejus libidinē & molliitem; perditam ejus & deploratam honestatis et optimarū artium negligentiam satis verbis expresserit? Quæ nescio quâ generis nobilitate, & divitiis freta, virtutis & humaniorū artium studia aut planè negligit; aut perfunctoriè, & oscitanter tractat; crapulæ & somno studet, suisq; monitoribus, qui honestiora & meliora suadent, audeat, & petulanter resistit & illudit. Sanè quæ preciosum illud tempus, & auream illam juvenilem ætatem, quæ citiùs desinit quàm verni flores, citiùs defluit quàm rapidus torrens; & nobis ad virtutem, & literas capeffandas Deorū immortalium immenso munere, ac beneficio concessa est, somno, inertia, luxurie tam flagitiosè perdit. O duram & iniquam Præceptorum nostrorum provinciam! qui præcepta tam salutaria mari & ventis committunt, & tam fidelibus admonitionibus apud discipulos suos nihil proficiunt: *Nempe* tu, ò adolescentum ignavissime & marinis vitulis somnolentior, ita vitam tuam dormiendo transiges? Nimirum *hoc assidue* facies: continuo

tinuè sic stertes; & ad multam lucem dormies? Nunquàmne evigilabis, & profundum illum somnum, quo immerfus & sepultus excuties? Nunquàmne quid te sit facere dignum considerabis, & ad veram virtutem, & eruditionem viam grassaberis, & ingredieris? Ecce enim jam dudum dies illuxit, & sol altissimo cælo constitutus jubare, & splendore suo mundum illustravit; *Iam clarum*, & sudum *mane*, & matutinæ lucis splendor thalami, & cubilis *fenestras intrat*, & *angustas* parietum, & *januarum rimas*, dum illas *lumine*, & radiis suis penetrat, *extendit*, & dilatare videtur, perque eas se totum infundit. At nos interea tamen luxuriosa, & ignava juvenus Romana, dum per extremam intemperiem nocte intempesta conviviis, & comessationibus indullimus, clara jam luce, neglectis literarum, & virtutis studiis, somniamus, & *stertimus*; & tantum quidem, quòd crapulam hesternam exhalare, & discutere; & fortè illud, ac *indomium Falernum* vinum, hesternam nocte ad ebrietatem, insaniam & vertiginem usque epotum *despamare*, concoquere, & digerere satis sit & abundè *sufficiat*; Nimirum ad horam diei quintam; *dum* in solari Horologio *linea quinta umbrâ* Gnomone soli opposito projecta *raugitur*; & jam dudum tempus advenit, labori, studiis, & honestis exercitiis destinatum, & captissimum; quod tu incertus intervivos, an mortuos tam indignè consumis. *En* adolescens perditte, & deplorate *quid agis* interea? quid negotii, & studii hoc tam præclaro tempore tractas? nimirum dormis, & quidem in mediam usque lucem. Nam ardentissimum illud

cœli sidus, æstu furens Sirius, *insana illa canicula*, hominibus multis morbos, & insaniam pariens, *ficcas*, aridas, & maturas segetes, *et menses jam dudum coquin*, adurit, & suo calore ad maturitatem perducit: & *omne pocus* æstu, & muscis agitatum frigora, & umbras captans, *sub ulmo patula*, & brachiis, ramisq; & frondibus late patente *est*, & quiescit. His & consimilibus verbis infelix, & miser Pædagogus discipulos suos desides, ignavos, & ignaros, compellat, excitat, & increpat. Tandem *unus* hujus desidæ, & somnolentiæ *comitum* tanto clamore, & stomacho excitatus respondet, & ait: *Verumne* est jam dudum diem illuxisse? *Itane* ad horam quintam usque dormivimus? *Quæ* ubi somnolentè, & oscitanter admodum inquisivit: deinde re compertâ famulos suos magna voce indignabundus in clamat: & ut sibi quàm celerrimè cum vestimentis adcurrant, stomachosè imperat, & inquit: Heus famuli! *Ocyus* heic vestrum *aliquis* mihi *adsit*: Nemône hîc vocanti mihi præsto est? *Nemône* meum imperium curat? Ibi si vocati, & famulos in clamanti non properè aliquis adsit, tum quamvis desidi & ignavo, *utrea*, clara, & splendida *bilis* surgit, & *urgefcit*: irâ & indignatione excitatur; omni iracundiæ, & furori habenas laxat, & effundit, & adeò furioso & infano clamore rumpitur, & *finditur*, ut ipsum vociferantem audiens *Arcadia pecuaria* ingentes, & decumanos alinos *rudere* credas, & clamorem *dicas* attollere. *Iam* tandem ubi multum diuque stomachatus omnem iram, & furorem in miseros servos evomuit, facie, & manibus aquâ lautis, *et capillis* pectine concinnatis, *et dis-*

positis

positis; vix tandem ferè jam meridie, *liber* unde aliquid in charta describatur, sumitur, & *rafa*, ac *bicolor membrana* involucrum papyri, et manuale exentile, & *charta*, in quibus scribat, & *nodosa* ex calamo *arundo* multis geniculis distincta, *in manus venit*, et ad studium tandem accingitur. At quo conatu? quo studio? frigidè admodum, invitus, et oscitanter. Quippe qui nullas non ignaviæ, incontinentiæ, & cordiæ rationes, causas, et prætextus præ tendit, et comminiscitur, ut sic discendi laborem, et ludum literarium subterfugiat. *Tum* en. ignavi *conquerimur*, quòd atramenti *humor* nimis *crassus*, et spissus *calamo* *pendeat*, et adhæreat; et scribendo ineptus sit. Quibus si Præceptor dicat, tu aquâ infusa atramentum crassum temperemus, et scribendo aptum reddamus, aliam extempore causam ignaviæ, et foci cordiæ noitiæ tegendæ reperimus, et ægrè ferimus, & atramentum, quod antè nimis crassum, calamo adhærebat, jam aquâ dilutum nimis fluat, *quòd nigra sepia*, cujus piscis sanguine pro atramento utimur *infusa lymphæ* *venescat*, suum colorem perdat; et in charta vix ullum sui vestigium relinquat. *Tum* denique *conquerimur*, et præ tendimus, *quòd fistula* pennæ, aut scriptorius calamus *guttas* atramenti nimia aqua *diluti*, et dissoluti *geminet*, ac duplices reddat, scripturamq; maculet et contamine. Nam semper habet flagitiosa illa inertia, quo laboris, et studiorum tædium excuset, et discendi molestiam declinet, et subterfugiat. *O* adolescens ignave, *miser*, et perditè: & *indies ultra* magis magisque *miser*, perditus, et deploratus future; *hucine rerum* per *venimus*? hucine fo-

cordiæ

cordiæ dicam, an dementiæ processimus, ut in adquirenda virtute, et eruditione nihil laborare velimus, at in super mollietiem, et ignaviam nostram confictis mendaciis excusare studeamus? ut perniciosam corporis voluptatem, et flagitiosam mollietiem etiam honestis artibus et disciplinis anteponamus; animi autem bona, et virtutem nullo nobis labore partam, nullo studio adquisitam velimus? nec modò perfordiam perditissimam illa animi bona negligamus, verùm omni etiam studio, vento, et remigio in idoperam demus, ut ab illis quàm longissimè abimus. *At* adolescens miserrime, & deplorate, quando forordiam, & vitam illam mortuam ex voto nuncupasti, nihilq; tibi prius, & antiquius existimas, quàm ut immotus in lectulis tuis maneas, ut ab omni honesto labore, & exercitio quantum fieri potest alienissimus vivas: Mirum profectò est, te adhuc manere, librum ullum inspicere, ullum stylû quamvis frigidè, & oscitanter exercere, & ullum opus, quamvis invitus tètare. Nam quare tu non omnino rursus in puerum, & infantem degeneras? aut *cur non potius molli, & tenero columbò*, passere, aut pullo, cui parens jejuna cibum præparatum, diducto rostro in os ingerit: Cur non delicatulis illis, & molliter educatis *regum pueris*, qui omnia pro suâ libidine gerere cupiunt, *similis* à nutrice tenerrimos cibos præmasticatos comedere, & *minutum* illud *pappare*, buas, inquam, & papas cibum ac potionem infantum minutim, & frustulatim à nutrice præmasticatum comedere repetis, & *repositis*: & lascivorû, delicatiorumque puerorum more levissimâ causâ offensus, plorabû-

dis

du, *& irasus mamma*, & matris tuæ blanditias, & soporiferum illud *lallare*? quo te in somnum dare sollicitè laborat, audire non vis, & *recusas*? Cur non perpetuam pueritiam agis, & ad primam infantiam redis? Quid enim aliud est virtutem, & sapientiam negligere, quàm semper puerum, & infantem esse, & pueriles adfectus, & nuces quod ajunt, nunq̃ relinquere? At his, & consimilibus, tanquam iusto vehementiùs increpatus, se in super excusare adhuc nititur & inquit: Quanta autem, ô Præceptor, iniquitas tua, aut quæ heic mea culpa? *An tali calamo studeam*, tali atramento, & chartâ aliquid scribere sustineam? At heustu adolescens perditæ, qui tantopere ignaviæ tuæ causam agis; tanto studio forordiam tuæ patrociniûm suscipis: *Cuinam* tu hic obsecro *verba* das, & imponis? *Cuinam* tu os sublinis? *At* *quid tandem* tu mihi *istas* verborum, & excusationum *ambages* toties tam odiosè *succinis*? quo tu verborum circuitu in excusandâ & velandâ forordia tua ad me præceptorem tuum fallendum, uteris? Non hic mea, sed tua res agitur: non hic me, sed te decipis; *tibi*, & de tua re in ludo exposita, *luditur*. Neque enim tu magistrum, qui in officio te continere studet, sed te ipsum vanis excusationibus, & vocum circuitionibus turpiter fallis, & decipis. Tua vita, ô stulte, transigitur: tuum tempus, ô vane, dilabitur; tu ipse, ô *amens*, & stolide, aquæ more *effluis*: Cujus juvenilis ætas, & tempus preciosissimum, nunquam revocari, nunquam iterari potest. Nimirum sic tu paulatim in deterius lapsus, & quantus quantus vanus & inutilis, nulli rei bono, nulli hominum, nec

tibi

tibi, nec aliis utilis eris; sed tamquam inutile terre pondus pro nihilo duceris, & ab omnibus, nec injuria, *cōtemnere*. Nec est, quod te aliorum hominum de te judicia falsurum, aut te cum vanus sis tanquam alicujus precii hominem aliis venditaturum speres. Nimirum tu non semper mutus eris, sed (quod isti generi hominum familiare, ut nec tacere nec loqui sciant) ut alii te videant, quid animi habeas, aliquid eloquere: quo ipso statim ignaviam, & ignorantiam tuam aliis prodes, & manifestā reddes, & omne animi vitium deteges. Sanè quemadmodum vasa tinnitu, sic homines sermone cognoscuntur. Nam ut taceam, quod veluti vasa vana, & inania acutiùs percussa, tinniunt, sic homines vani & ignavi clamorā loquacitate aliis semper obstrepunt: sicut vas fictile, aut quævis *fidelia*, ut infusa fideliter contineat comparata, si ex argilla, aut *limo viridi*, & crudo *non cocta*, aut ulsa sit, ab emtore digito *percutsa vitium*, & rimas statim *sonat*, nec claro tinnitu, sed fracto, & absurdo sonitu *malignè responder*: sic tu, si hac tua juvenili ætate, qua tanquam luteus, & cereus, in omnes formas mutari, fingi, & refingi potes, non virtute, & honesta doctrina informeris, & imbuaris; postmodum quoties os aperueris, quovis sermone, quovis verbulo inertiam, & ignorantiam tuam prodes, teq; aliis irridendum propinabis. Quare nisi te omnium ludibrio olim exponere, & in nullo honore, & precio non haberi desideras, hac aurea ætate, qua tanquam *adam*, & *molle lutum*, quamvis formam tractabilis suscipere potes; cui rudi, tanquam tabule; cereæ quidvis inscribi potest; cui accu-

ratus

ratus morum, ac virtutum magister, & informator quamlibet doctrinæ, virtutis, & honestatis speciem impresserit: *Nunc* dum tener, & mollis es; *nunc*, inquam, dum in quamcunque partem faciliè flecti potes, ab informatore tuo, tanquam lutum à figulo *proparandus*, & summa festinatione, *acri doctrinæ rotā*, accurata disciplina, & institutione, omni virtute, & honestate *sine fine*, & mōra incessanter fingendus, *informandus*, & erudiendus es. *Sed* nimirum video ego, o mancipia ignavissima, cogitationes vestras, & faciliè perspicio quid objecturi sitis. Nempe quia tu mediocriter dives, & opulentus es, non est quod tanto studio literis, & honestis disciplinis invigiles; quia tu locuples, non est, quod ulla virtute animum tuum imbui patiaris. Quid enim tibi doctrina, & virtute opus, qui tantas opes, & divitias, quæ ad vitam lautè agendam fatisint, consecutus sis? Illi soli, inquis, virtuti, honestis disciplinis, & artibus operam dent, quib; unde liberaliter vivant, & victitent, non contingit. Sanè *tibi* locupleti, & opulenti ex *paterno* & avito *rure sar*, & frumentum *modicum est*, ac provenit, quod in annum tibi, & familiæ tuæ abundè sufficit: Domi præterea supellex tibi est culta, & nitida, munda vasa. *salinum sine* ulla macula, & *labe purum*; porro *patella Laris*, & *foculatrix*, in qua delibanda dapes Diis domesticis, & patellariis offeruntur, *secura*, & ab omni molestia immunis. Nimirum quæ te securum, & de nullare anxium, & sollicitum præstare possunt, nam *quid tu metuas?* & de quo tu ulterius sis sollicitus, cui quod ventri sufficit, abundè suppetit? Quid aut

te o-

te opus est liberalibus studiis, & virtuti operam dare qui majorum divitiis, & opibus contentus vivere possis? O bovis vocem, non hominis! ô aurea mancipia! ô pectora bruta, barda, stupida, ignava! Nunquid *hoc satis* est, ut venter nimirum habeat, unde victitet, ut tui interea, & animi tui rationem nullam habendam esse existimas? Quôd si vel Tantalum talenta possideres; ipsum Cræsum, & Crassum divitiis superares; ipsum Codrum nobilitate, & stemmatis antiquitate longissimo intervallo post te relinqueres: Non interea tamen si quid cordis tibi aut frontis foret, indoctus & ignavus asinus esse, & manere cuperes, & virtutis studium, cum honestis disciplinis, & liberalibus artibus contemnendum, ac deserendum putares? nedum modicas tantum opes, ac fortunas possidens. *Anne enim deceas*, & fas esse existimes cristas erigere, animos attollere, inturgescere magnum spirare, *pulmonem vento rumpere*, ludia virtutis, & litterarum, & omnia ex alto despiciere & contemnere; quôd in antiquo aliquo, & nobili *Thusco*, vel *Hetrusco stemmate ramum* aliquem, & successione lineam *ducas*, & obtineas, & à primo familiæ auctore *millesimus* à magno aliquo auctore, & Genealogo numereris? *Vel* ideòne te inflari, & inani fastu inturgescere convenit, quôd in equitum Romanorum recognitione & traductione *censores tum*, qui de te cognoscit, *trabeatus*, & toga è purpura & cocco insignis, & amictus, ex equo nitido, & phalerato cōpellas, & *salutas*. Nimirum ita generis nobilitate, divitiis, aut splendidior corporis cultu, aut ornatu te nobis quantivis precii hominem vendita-

turum

turum, & turpissimi animi fœdas sordes & maculas hoc pallio te occultaturum existimas? Scilicet tu velut mangones phaleris, & equorum ornamentis, mercatorum oculos perstringunt, equorum vitia occultant, & pro valentibus, & generosis infirmos, & ignavos vendunt. Ita te nobilitate, & divitiis nobis imposturam facere posse existimas, ut de te homine nihili, & ignavo, præclari aliquid, & quantivis precii nobis polliceamur. Lōgè opinione homo vanissime falleris. Vulgi n. oculos, quod præter externam rerū superficiem & speciē nihil videt, nihil demiratur, hisce nobilitatis, & divitiarum ornamentis fortassis perstrinxeris; non meos: Et rudi plebi, quæ divites & nobiles magnos viros, & bonos existimat, & cum stupore demiratur, forsitan impostueris; non mihi. Quare *ad populum*, qui in titulis & imaginibus stupet, has tuas nobilitatis & divitiarum *phaleras*, velamenta & larvas, quibus tua vitia tegas, usurpa, & remitte; non ad me: & hanc generis claritudinem, & divitiarum splendorem rudi vulgo, non mihi, jacta, & ostenta. *Ego enim intus, & in cute te novi*; omnes animi tui latebras intimas cognitās, & per spectas habeo; & animi tui mores omni ignaviā, vitio, & scelere inquinatos jam dudum perspexi. *Nōne enim te pudet*, externo habitu, & insignibus nescio quam gravitatem, & honestatem præ te ferre, & interea flagitiosissimorum hominum vitam imitari? *Nōne te pudet* majorum tuorum virtutem, & generis claritudinem jactare; illorum gloriā tantopere est ferri; & natalium splendore supercilium tam altè erigere; interim verò virtutis, & honestatis nul-

F

lam rationem habere, & ad morem *Nactæ*, hominis perditissimi, *discincti*, dissoluti, & impuri vivere, & abjectissimum ardelionem potius, quam majores tuos vitâ, & moribus imitari: qui *Nacta* non solum luxu, & crapulâ universum patrimonium turpissimè abstulit; sed generi etiam, & nobilitati suæ eternam, & nunquam eluendam maculam vitâ per flagitia turpissimè actâ, inuulsit, & adspersit. *Sed hic*, de quo dico, *Nacta*, nequam flagitiosus, nihili, & non nauci, facile excusari jam potest: Quia enim perditus, & deploratus jam tanto tempore turpiter, & flagitiosè vixit, habitum malitiæ sibi contraxit; vitiis suis quasi callum obduxit; aliter agere, ad virtutem reverti, ad frugem reduci non potest: Ac proinde *vitio stupet*, nec amplius sentit, & *opimum* illud flagitiorum pingue fibris cordis increvit, inque præcordiis tam altas radices egit, ut peccare se amplius nesciat. Quare cum ex incitiâ, & ignorantia peccat, culpâ quodammodo caret; & virtute per luxuriam relicta nescit amplius quid perdat, & qualium quâtarumque rerum jacturam faciat: & immenso illo, & alto flagitiorum pelago immerfus, & obrutus, in summa undâ, & superiori aquæ superficie, nonnumquam rursus bullit, & emergit; nunquam ex densissimis vitiorum tenebris oculos ad virtutis fulgorem sustinet attollere; sed æternum in profundâ flagitiorum voragine & barathro obrutus, & sepultus manet; & omnino deploratus, ne conscientia quidem stimulis amplius ob virtutem relictam, & scelera perpetrata agitur; Ac proinde commiseratione potius quam reprehensione magnopere dignus. Tu autem

ado-

adolescens flagitiosissime vivus, vidensque prudens, & sciens virtutem deseris; & cum per ætatem vitiis nondum indurueris; vitiorum habitum nondum tibi contraxeris, adhuc corrigi, & sanari, ac aliter agere possis; viam tamen pravitatis & malitiæ pergis; & denique cum meliora videas, & tacitâ conscientia adprobes; deteriora tamen sequeris, & virtutis majestatem, & dignitatem tuâ culpâ deseris, & relinquis. Quomodo tu vel improbissimorum hominum, imò quomodo vel tuo ipsius judicio ullam veniam promereberis? Nam ut vel maximè nunc veniam temetipsum digneris, tibi ipsi clementer, & benignè ignoscas, & virtutem, ac omnes honestas artes ac disciplinas securo, & tranquillo jam animo negligas, & contemnas: serâ nihilominus, & seriâ olim tuorum scelerum conscientia torqueberis, & animi morsus, tormenta, & cruciatus ipsâ morte graviores, ex flagitiorum tuorum cognitione perlentifces, tuâque fraude, & audaciâ, tanquam Eumenidum ardentibus facibus, & flagris Deorum immortalium vindictâ, perterreberis & exanimaberis. Quo quid gravius, horribilius, terribilius excogitari potest? Et quinam corporis cruciatus, quæ tormenta cum hoc conferri poterunt? Sanè virtutis desiderium miserimum; & eâ carere infelicissimum. Atque adeo tu *magne Divum pater* optime, sanctissime, & justissime Iuppiter, qui res mortalium gubernas, intueris, judicas, bonis, & bene merentibus bene prodes; & præmia confers; malis, improbis, inhumanis, crudelibus par es, & promeritas pœnas irrogas: Tu inquam, ô Iupiter, servos illos, & crudeles, impios, & sceleratos tyrannos,

qui hominum incommodis, & miseriam delectantur, *bandalia ratione*, non dissimili pœnarum genere *punire velis*, & affligere, quàm hac ipsa, de qua dico, quæ maxima maximis sceleribus convenit, æqua, & par est; *Vi* nimirum *enim dira* illorum, & effrenata *libido*, prava cupiditas, improba malignitas, *feruenti* crudelitatis *veneno tincta*, & imbuta *ingenium* eorum triste, & crudele *moveris*, & excitaverit, eosque in omne scelus, & flagitium impulerit; tunc *virtutem*, honestatem, humanitatem in aliis *videant*, ejusque immensam dignitatem; & majestatem, & quantum ea omnibus rebus præstet, & antepolleat, intueantur, illam aliis invideant, & illã per summum flagitium *relictã*, & neglectã, doleant, ringantur, excarnificentur, *extabescant*, isque dolor usque eò permanet, ut summus inde furor, & amentia consequatur. Atque hoc ad eò tormentum, hic cruciatus illis debetur.

Anne autem *magis* homines in Phalaridis *Siculis* tyranni, ænei tauri vel *juvenci* à Perisæo fabricati lateribus inclusi, subiecto igni per extremum corporis tormentum bovis vocem emittentes, ignita & candentia *ara gemuerunt*, & doluerunt, & nunquid illos majori cruciatu tortos putabimus; quàm quos mala conscientia examinat, excruciat, excarnificat? Et *an magis ensis* ille, & gladius, de Dionysii Siciliæ alterius tyranni regie *auratis laquearibus* seta equina *dependens*, caput & cervices *purpureas* Damoclis parafiti regaliter induti, in exquisitissimo cœnæ apparatus, (ut scilicet, qui tyranni beatitudinem prædicasset, eam experiretur) *subier* in folio regio, Tyrio ostro, & aureo lecto collocati, *terrui*, & metu ensis in

caput, vel pectus decidetis exanguem & exanimem reddidit; *quàm si* quis scelerum suorum Furiis, & malæ conscientie stimulis exagitatus *sibi* ipsi, intra se, & in animo suo *dicat*: *Perimus*, urimur, exagitamur, absumimur, imus; *imus*, inquam, in exitium, & perniciem *precipites*, & omni salutis spe miserimè destituimur: & nullo loco, nullo tempore, tuti, & securi sumus. *Et* sic miser, & *infelix* recordatione fraudum, & scelerum suorum vecors, sine vultu, voce, & colore *intus*, in animo extimescat, & *palleat*, quod etiam conjunctissimis amicis detegere erubescat, atque ad eò quod *proxima*, & fidelissima *uxor nesciat*: Atque denique sibi ipsi sit acerbissimus, & assiduus accusator, certissimus, & maximè invisus testis, justissimus iudex, severissimus damnator; crudelissimus etiam sæpe executor; & quæ sine horrore dici non possunt horribilissima. Eiusmodi Furiarum flagris, stimulis, & facibus, ne et tu olim exagitere, adolescentum flagitiosissime, malè metuo, cum prudens, et sciens virtutem, & honesta studia, tam petulanter negligas, et relinquas. Nec est quod ætatem, aut pueritiam tuam amplius prætendas; qui quidem tantus, et tam grandis jam natu sis. Sane si puer adhuc fores, hanc ætatis lasciviam, et inscitiam haud injuriã tibi forsã quis condonandam existimaret. Nam et ego ipse aliquando puer, ex omnium more, adfectuque, iners, et alieno à literarum studiis animo fui, et puerilibus studiis, omnia humanitatis, et sapientiæ postponebam: *Quin* etiam nullas non artes, et dolos animo machinabar, quibus præceptoribus, et parentibus meis imponerem, et labores Scholasticos de fuge-

rem. Nimirum *memini* adhuc, et *sapere* recordor, quòd cum *parvus* adhuc, et *puer* essem, si lectionis audientia te dudio adfectus, in ludum ire, Rhetoricen audire, declamando ingenii vires exercere, & *grandia*, sublimia, et animosa *Catonis* Uticensis post pugnam Pharsalicam Pòpeio, cujus partes sequebatur, à Cesare profligato, et mortuo, sese interemturi, et *moriturus* de animæ immortalitate *verba*, aut alia gravia, et præclara, à *magistro* nostro, ob nimiam vehementiam, quâ nos ad studia exstimulabat penè *insano*, *multum laudanda*; et *quæ pater* meus amicis suis convocatis, et *adulctis* meâ recitatione præclaram de filio spem concipiens, ingenti lætitia, et summâ admiratione *sudans*, et incalescens, *audires: ediscere*, et memoria mandare *nollem*: Tunc oculorum vitium, et lippitudinem simulabam, et *oculos* meos *olivo*, et colliriis *tingebam*, et inungebam. Illa enim ætate, quam puerilia, et ludicra potius quam gravia, et virilia delectant, et qua talorum, tesserarum, turbinis et nucum potius ludo, quàm virtutis, et literarum studio singuli intenti sumus, *jure*, et non immeritò *id summum* mihi, et maximum bonum videbatur talorum ludum nosse, et *quid* in illorum quatuor lateribus ternio, quaternio, *senio*, et Canis esset; et porrò *scire* quid inter ludendum *dexter* ille; et felix, et secundus *senio* jactus lucri, et emolumenti mihi adferret: contra *in voto* summo, et desiderio *erat* cognoscere, quantum inaususta unitas, et sinistra illa, et *dammose Canicula*, quæ in talorum jactu quinque semper detrahit, *abraderet*, pecuniæ detraheret, et damni, ac jacturæ inferret: Caterùm in ludo cum nucibus,

magna

magna arte studebam nuces in vas fictile pro cæro corpore, ex distanti, conjicere, et *angusta orca*, et *vasis collo*, et ore *non fallier*, neque aberrare, ne damnum ferrem, jacturamve facerem. Denique hoc mihi præcipuum tum temporis studium erat, *ne quis* in tota civitate alius inveniretur, qui *buxum* trochû, vel turbinem è buxo me *callidior* et melior *flagello torquere*, aut habena posset circumagere. Verùm omnia hæc ætatis vitio potius, quàm depravato animo habitu. Nempe puer puerilia tractabam, puerilibus intentus eram. Sed desii nimirum, et nucesillas, ac puerilia unâ cum ætate reliqui: Quo ipso nomine veniam mereor, cum illud ea ætate commiserim, quæ et imbecillis, et suapte natura à labore ad inertiam proclivis. At tu juvenum ignavissime, nec ætatem potes prætere, qui quidem jam ævo es grandior: Sed neque ignorantiam, et incitiam tuam prætere potes, qui Philosophiam tanto tempore didiceris. Sanè *haud tibi* ex sapientiæ studio, et Philosophia morali, ac Stoïca, et Pythagorica disciplina ignotum est inter bona, & mala, honesta & turpia discernere: nec etiam *inexpertû* tibi rectos, & *curvos*, integros, & depravatos hominum *mores deprehendere*, & cognoscere. Nosti præterea ex Philosophiæ studio illa omnia, *quæcûque* illa Atheniësis porticus *braccatis Medis illita* & à Polygnoto Thasio, & Mycone pictoribus figuris bellorum inter Xerxen, & Darium reges Persarum, & Medorum, cum Atheniensibus ducibus, Leonidâ, Multiade, Themistocle, & aliis gestorum depicta; *Sapiens*, inquam, illa Stoïcorum *porticus*, in qua Zeno, Chrysyppus & tot præstan-

tissimi, et sapientissimi Philosophi docuerunt, ad vitam rectè, et secundum virtutem instituendam unumquemque *doccat*: Et quibus accuratissimis et gravissimis vitæ præceptis et monitis inculta illa, et *insomnis*, frugi, et in deserta. & ad cutem usque *detossa* Stoicorum *juventus*, ab omnibus delitiis aliena, et *grandis* ac crassa *volentia*, & *siliquis* fabarum, et leguminum *pasta*, et tenui faciliq̃ue victu, qui virtutis, et bonarum artium studiosis hominibus convenit, cõtenta, omni curâ, & studio operam dat, & invigilat, Quin etiam ex Pythagoricâ disciplina, libris, & sermonibus, quid virtus, & vitium, quid honestum, & turpe sit, & quæ via ad beatitudinem, quæ in perniciem ducat; discere potuisti. Nam illa Pythagoræ *littera* *Y* quæ humanæ vitæ speciem præfert, & discrimine bicorni secta & divisa illos Pythagoræ *Samy* Philosophi *ramos diduxit*, & ab utraque parte expandit, sinistram illam latam, & proclivem voluptatis & vitiorum viam in exitium, & perniciem deducẽtem *tibi demonstravit*; Contrâ autem *dextro limine*, & latere viam arduam, *callem* difficilem, & in sublime altè *exsurgentem*, atque ad virtutem & beatitudinem deducẽtem tibi ostendit: ut nec ætatem, nec ignorantia possis prætere. Hæc omnia nosti, & didicisti; sed omnia spernis, & negligis. *Stertis adhuc* hominum ignavissimè, & ex *hesternâ* crapulâ marcidus in profundo somno ronchos ducis? An adhuc *caput* illud tuum *laxum* & dissolutum, seque vix sustinens juncturis, & *compagelabiorum*, & *maxillarum soluta* & diductâ, in rictum extensum & deformiter patefactum, *malis*, & genis ab omni parte *undique*

disfuit,

disfuit, & distractis, maleq̃ue conjunctis *hesternum* convivium, & vertiginem *oscitat*, evaporat & exhalat? At quidnam tandem cogitas juvenum stolidissimè? nunquãme tu ad frugẽ aliquando pervenies? Anne tandem certum vitæ studiorumq̃ue genus & finem, ad quem omnes tuas actiones referas, tibi cõtuites? Nunquid in hoc vago, & immẽso vitæ humanæ mari portũ aliquẽ quem petas, sidus aliquod ad quod cursum dirigas, tibi præfixisti? *Estne* meta, aut scopus, aut *aliquid quod tu tẽdis*, et in quod *arcum dirigis*, & in quod collimaris? An adhuc vita tua sine proposito *vaga*, & dubia est. an in hoc vitæ pelago sine tuo *veto*, sine tuo portu fluctuaris, vagaris, erras? An nullo tibi scopo præfixo, *corvos*, quod dicitur, (qui instabiles, vagi, & incerti huc illuc trãsvolant) tam in viã planã, & lapidib. ac *testã* stratã, q̃m in *luto*, & *cœno*, *securus quod te perferat*. *passim* duces *sequeris*, & aves quæris, nullõq; scopojacularis: *atq;* ad eũ *ex tẽpore*, & in diem sine omni futurorum sollicitudine, sine omni ratione, & providentia *vivis*? & ne de castino quidem cogitas? Siccine denique non quod ratio te et Sapia ducit, sed quod voluptas, & vitiorum impetus rapit, traheris; nec quid futurum sit, quidquam tua interesse putas, quidquam pensi habes? At scin', quorsum hoc tuo errore, hoc nullo tuo proposito olim perventurus? Nimirum ut aucupes, dum oculis sublati vagas aviculas sine ratione insectantur, nec quæ ante pedes sunt prospiciunt, pedem sæpè offendunt, aut in foveam incidunt: Sic tu etiam, quoniam vivendi finem quem debuisti tibi non proponis, illum quẽ non voluisti invenies? Et cùm vita tua nullâ ratione,

nullo consilio regatur; cum certum vitæ genus abeunte ætate non delegeris: cum nulla vivendi via tibi perspecta, & considerata sit: in extremas calamitates, in summas angustias, & miseras aliquando devenies, & incidēs: Et tum demum serò respiscere, & rectius sapere studebis, cum maximis malis obrutus, rursus emergere non potueris: ubi vitia, & flagitia in animo tuo inveterata tam altè radices egerint, ut nunquam inde rursus erui, & evelli possint: adeoq; ubi salutis, ac sanitatis tuæ spes perexigua fuerit, & prope nulla. Quare huic tali, ac tanto malo; quod tibi imminet, in tempore, & maturato consilio, & remedio præveniendum erat. Nam non secus ac in corporis ægritudinibus morbi exitus non expectandus est: sed illi in principio, antequam malum longiori morâ in valeat medicamentis præveniendū & obstandum: Sic vitiiis, ac animi morbis mature præceptis, institutisq; Philosophiæ occurrendum. Sanè in Hydropsi, cum morbus longâ morâ, & temporis diuturnitate invaluit, & incurabilis redditus est & *agra*, ac languida *cutis* jam jam *tumebit*, & insabitur, serò ægrotos medicorum opem implorantes, & *frustra helleborum*, & alia remedia & purgationes *poscentes* videas. Nam ubi morbus in corpore humano radices altius fixit, & habitum quasi contraxit, definit esse remedio locus: Ita vitia quoque adolescentiæ, ubi semel in animis inveteraverint, & radices agentes cum ætate increverint, haud promptè illa postmodum inde evulseris, & extirpaveris. Quocirca stulti, & stolidi juvenes *venienti*, & jam incipienti animi *morbo*, malitiæ, & vitiiis tempori, dum abhuc

pul-

pullulascunt, & sanari adhuc, & corrigi possunt, *occurrite*, & prævenite; vosq; mature animi medicinæ Philosophiæ excolendos, & sanandos offerte, si modo boni, & beati esse, neque vos voluptati, turpitudini, vitiiis, extremæ calamitati, & miseriæ emancipare, ut nulla amplius sanitatis, & salutis spes restet, volueritis. *Et quid opus*, aut ad rem attinet, imò quid prodest, in periculosissimis, & deploratis morbis, ac valetudine iam conclamata sèra remedia tentare; & ægrotis iam deploratis *(cratèro quamvis medico Augusti temporibus præstantissimo magnos auri montes promittere, & magnificis verbis ingentia præmia polliceri, si illis sanitatem jam perditam, & profligatam, nec unquam revocandam restituat? Quorum etiam attinet te serò virtutis, & morum magistro te corrigendum tradere, cum vitiiis abrutus, & sepultus nunquam rursus emergere, nunquam ad virtutem, & bonam frugem redire possis? Eiusdem omnino infantiæ est, Philosophos accerere, teque illis excolendum committere, ubi etas tua jam serè peracta, ubi tu segnior, & languidior, ad literas discendas planè ineptus, & inutilis fueris. Quin vos ò miseri, & stulti adolescentēs Philosophiam, artes, & scientias in tempore *discite*, vos ex vitiorum, & ignorantia servitute eripite, & vindicate: Hæc tenerâ & juvenili ætate *rerum* naturalium, *causas*, & principia, ortus, & interitus omnium in hoc pulcherrimo naturæ theatro *cognoscite*, investigate, & inquirete: quæ res longè utilisima, & jucundissima. Quin etiam doctrinæ de moribus secundum virtutem informandis operam date, & imprimis vosmetipsos cognoscere*

scere

scere studeate, & discite quos, & quales nos natura in hunc mundum procreaverit; *Quidnam* videlicet nos homines *sumus*; nempe ratione præditi, & mortales: ad quam rem, quem finem nos natura & Deus produxit, & ad *quidnam victuri gignimur* & in mundum introducimur; nempe ut Deum cognoscamus, & sequamur. Porro *quis* vivendi *ordo* unicuique à Deo immortalis attributus, & *datus* sit; quæ vitæ ratio cuique, à naturâ præscripta; quo ordine, & ratione vita colèda sit, ut scilicet honestè vivamus, neminem lædamus, suam cuique tribuamus; Cæterum quæ sit maximè accurata, expedita, & compendiosa vitæ humanæ regendæ & moderandæ ars; *quàm molis*, & maximè expeditus *flexus*, finis, & *meta* ejus, ut quàm citò & facilè, sine lapsu, & respiratione, ne in fine, ad extremum impingamus, hæc ætas nostra trafigatur; & *unde*, aut quo loco, & tempore flexus ille ad vitæ finem, & metam incipiat. Discite etiam *quis modus argento*, pecuniis, & opibus conquirendis à natura præstitutus, quid homini in hac vita satis sit, & quibus contentus vivere debeat: *Quid* in hac vita hominibus à Diis immortalibus petere, & *optare* æquum, & *fas*, quid iniquum, & nefas sit. Nec solum discite, quæ mediocritate pecuniæ & opes conquirendæ, sed quæ etiam erogandæ sint; quis verus divitiarum usus: *quid* pecunia, & *nummus* figuris insculptis, & impressis *asper*, *utile habet*, & hominibus rectè illo utentibus, & cum honestate dispensantibus commo. li adfert: *Quid patria*, amicis, & *caris* tuis cognatis, & *propinquis* debes; quantum illis consilio, & re prodesse, *quantumque* eis ex opibus, & divitiis tuis confer-

conferre, & *elargiri* æquum sit, & *deceat*; Et denique, *quem se Deus esse* voluit; quod vitæ genus tractare; quam conditionem te exercere *justit* & *in humana re quâ parte*, & conditione à Deo positus, & *locatus* sis, ne plus minùsve facias, quàm officium, & conditio tua ferat, & requirat, nec majora viribus coneris, aut res non necessarias moliaris. Hæc omnia, sine quibus vita mortalium mala pariter & misera, *disce*; & unica hæc animi bona Sapientiam, & virtutem tibi ob oculos pone. Hæc te studere, hæc adamare, hæc unica expetere, & meditari æquum est, & mente in unum Deum, et virtutem intentâ, reliquis mundanis obiter uti. Quod vix à te fieri fas, nisi opes, & divitias & omnia deniq; Fortunæ ludibria floccifeceris, & excelfo animo cõtempseris. Ante omnia etiam atque etiam cave, ne quid magnum in rebus mortalibus sttuas, nisi animum tuum omnia mortalium quæ vulgo maxima videntur, tanquam pusilla, & exigua, imò nihili, contemnentem. Ac proinde nulla te admiratio abundantiæ, & potentiæ caussidicorum, & Jurisconsultorum à virtutis studio abstrahat: *neque* Romanis locupletibus *invideas*, quòd aliquem te ditiozem cernas: quòd *in* opulenti. simorum advocatorum Romanorum *locuplete domo*, & omnibiariorum genere instructissimo penu plurima vasa, *multa fidelis* vino, oleo, salsamentis plena sit, à *pinguibus*, & divitibus illis *Umbris* in judicio *defensis*, tantâ copiâ donata, ut præ affluentiâ cum consumi nequeat, *putet*, & ob putredinem gravem odorem redoleat: quòd ibi maxima vini, olei, tritici, lètis, fabæ copia; quòd ibi *piper*, & *perna* atque alia donaria,

& monumenta *Marsi* clientis in iudicio defendendi. patrono suo missa in summa abundantia inveniantur: quod ibi denique piscis marinus, & *Mana*, & aliud omnis generis salsamentum, locupleti rabulæ tanta offerantur copia; & quidem antequam vas illud salsamētarium quod prius in cellario dono datū habuit, finierit! & quod in *primā* illa *orca* piscis *non-dum* defecerit, nec illa exhausta fuerit. Hæc & consimilia, quæ alii tanquam magnæ felicitatis loco habent, & demirantur, cave te de virtutis, & humaniorum litterarum studio deterreant. Quæ nimirum omnia longè vilissimā, & contemtissimā, si cum divina illa dignitate, & maiestate Sapientiæ, & virtutis conferantur. Cùm enim Sapientiæ studium isthæc Fortunæ ludibria contemneret, & nihil præter virtutem nos admirari doceat, meritò omni labore, studio, & conatu, & quod aiunt vento, & remigio illi incumbendum, ut despectis omnibus Fortunæ telis sapientes, & rerum periti, Deo grati, patriæ, & propinquis, & nobis ad eò ipsis utiles simus, & hanc fragilem denique, & caducam vitam, ritè, benè, & beatè transigamus. At nimirum Centauri nostri Romani, & rudes illi, & indocti Stratiotæ, non ad eò hanc Philosophiam quæ animum sapientia imbuit, & vitæ secundum virtutem regendæ, & moderandæ præcepta tradit, audient, et demirabūtur; ut eam ultrò etiam derisuri, et contematuri sint. Scilicet *heic* de sæda illa, et *hircosa*, et ani. no ac corpore inculta, et horrida *centurionum* & nobilium *gente*, quos hispida & hirsuta barba, & alarum fætor fædissimus, formidabiles efficit, *aliquis* mihi obijciat, & *dicat*: Quorsum

tu mihi homo stolidissime, illa vanitatis studia commendas, & prædicas? Ego verò, *quod satis est* & abunde mihi sufficit. *mihi sapio*: & naturā ac ingenio tantum prudentiæ cōsecutus sum, ut tuam illam nescio quam sapientiam, quam vanitatem fortè rectius dixerò, nihil curem, neque morer. *Non enim ego* illud esse *curro* & studeo, *quod* infanus aliquis Philosophus, qualis fuit *Arcefitas*, qui nihil sciri existimavit: nec illud evadere cupio, quod miseri illi, & *ærumnosi* *Solones* sunt; cùm nescio quæ *silētia rabiosa* & canina *murmura* quemvis mordentes, & adlatrantes, *obstipo*, *ceruo*, & incurvo *capite*, & *terram* oculorum *lumine* intentè intuentes, & *figentes*, *rodunt*, & *frendunt*: *Atque* nescio quæ vana, inutilia, & ridicula, nec viro gravi, & cordato curanda *verba*, protenso & *exporre-ssō* *labello*, dū ita eos extendunt, ut labra ipsis appēdere videantur, tanquam in libræ lance *trutinantur*, & pensitant: *agroti* alicujus *veteris* vanissima, & tumultuosissima *somnia*, & deliria secum *meditantes*: Qualia sunt: in Physicis omnia gigni ex præjacente aliquâ materiā, & semper in aliquam materiam rursus dissolvi: *De nihilo* autem *nihil gigni*, & *in nihilum nihil* etiam *reverti posse*: & si quæ sunt consimilia, quæ nec scire juvat, nec prodest. Atque *hoc* ad eò illud est *cur pallies*; cur invictò studio pallorem, & maciem tibi contrahis: *Hoc est cur aliquis* à cibo, ut eo intētius vanis suis speculationibus intentus esse possit, abstineat, & *non prandeat*. Nempe quæ d sui studiosos examinat, macerat, pallidos, & ridiculos facit. Ita nimirum vani illi, & stolidi de studiis sapientiæ, & litterarum judicant. Quid vobis opus est? *De his*, & consimili-

similibus Sapientiæ & virtutis præceptis gravissimè
 Romanus *populus* rudis, & indoctus *ridet*, & *juvénis*
 Romana in cute curandâ plus æquo operata, pin-
 guis, & *multum torosa*, ore distorto, & *naso* obrisum
 in rugas contracto, & *crispante* effusorifus, & *tremu-
 los cachinnos ingeminas*, & sæpissimè repetit. Sanè cui
 jam dudum omne studium, omnis conatus virtutem
 & sapientiam penitus profligare. At quonam tan-
 dem fine, quonam eventu? Nempe ut miseri miserè
 tandem pereant, & in extremas calamitates, perniciè,
 & exitium condignum ruant, qui rectius monètib;
 obtemperare noluerint, & Philosophos animi medi-
 cos tam supinè irriserint, & contemserint. Nam ve-
 luti in morbis corporis ubi aliquis febrì correptus
 est, qui in initio remedium quærit, & medico suo dicit:
 O medice! contrecta quæso brachia mea, & pulsus
 arteriarû, & cordis considera, & *inspice*. Quæso quid
 sibi vult illa trepidatio: *nescio quid pectus mihi trepi-
 dat* & horrore concutitur: quin etiam ægrè spiritum
 duco, & respiratio difficilis & molesta, & *halitus* malè
 olens, & *gravis* ex agris meis *fauibus* exudat, *exsuperat*
 & exit. Quidnam hoc mali portèdat *inspice fodes*,
 & huic adfèctioni corporis mei medere quæso: la-
 boris, diligentia, & fidei tuæ præmia condignare
 reportabis. *Qui* ita, inquam *medico* suo *dixit* cumq; in
 consilium adhibuit; illiq; postea morem non gesserit,
 nã ille non injuriâ suâ culpâ mortem postea opet-
 tit. Nam ubi sumto medicamèto *requiescere*, et ab
 omni nimio, & certo cibo, potu, & balneis in quar-
 tum usque diem abstinere à medico *missus* est: *post-
 quam tertia nox* horrorem febrilem aliquantulum
 cessare,

cessare, respirationem faciliorem, & arteriarum mo-
 tum, & *venas* jam *compositas*, & æquabiles *currere*, &
 pulsare, & alia tanquam recuperatæ valetudinis in-
 dicia; & denique ægrotum meliusculè se habere *vi-
 dit*; Ibi ægrotus medici oblitus, quasi universo mor-
 bo jam penitus profligato, nihil jam omnino peri-
 culi superfit, antiquos mores luxum, crapulam, in-
 temperantiam, venerem, & balnea, quibus morbum,
 & mortè sibi accelerat, repetit, & (quod infirmiorib;
 periculosissimum) *sibi* balneum jam ingressuro, &
toturo de majore divitis amici *domo lenia*, salubria, &
 optima *Surrentina* vina *lagenâ modicum sitiente* &
 mediocris capacitatis, *rogavit*, & sibi adferri curavit.
 Ibi si medicus, eum constituto die invisens inter-
 veniat, & dicat: *Hens* tu ô *bone* quid agis? tunc vina
 bibes? tunc ad balnea properas? & cum vix, & ne vix
 quidem morbum effugeris, ipsum incôntinentiâ tibi
 cumulatiùs revocas, & reducis? Etenim *tu* adhuc
palles, nec, quantum inde colligo, bellè te habes, sed
 eger es, & malè adfectus. Illi tum æger intemperans,
 & deploratus qui jam in gravissimo morbo dolo-
 rem amplius non sentit; & cujus vitæ, ac sanitatis spes
 exigua, imò nulla, respondet: *Nihil est*, ô medice, ego
 non palleo, sed bene me jam habeo. Cui si rursus me-
 dicus: Tunc hoc nihil esse dicis? At *videas tamen il-
 lud quidquid id etiam est*; certè *lutea*, subcrocea, &
 cærulea *pellis*, & cutis *tibi* in toto corpore *tacitè*, &
 latenter *insurgit*, & intumescit; unde aquam inter-
 cutem colligo, & te hydropisi laborare, & nisi cave-
 as vitæ periculum imminere non obscurè pervideo.
 Ibi verò æger irâ, indignatione, & furore adversus

medicum plenus sævidicis in super verbis illum impetit, & objurgat: Quid dicis medicorum vanissimè, tunc me hydropisi laborare, & pallere dicere audest? *At tu* pessime longè *deterius palles*, quàm ego. *Quin tu* potiùs abeas è domo, & còspectu meo. Et *nemini* *sistitor* & patruus; nec curator; censor; aut Pædagogus; nec mihi quid facere, quid omittere debeam præscribas; quod jam dudum sine tuo ductu, & auspicio per me novi. Ibi medicus minis, & convitiis impetitus respondet: Nam quid heic proficias; ubi si quid bene præcipias nemo est qui obtemperet? Nimirum idem tibi continget, quod superioribus paucis diebus alteri cuidam ex eodem genere hominum, qui & ipse me medicum optima momentem audire nolebat. Ego verò *hunc jam dudum* ad sepulcrum elatum, & mortuum *sepeli*; & quantum video; *tu restas*; & cum eandem viam in sillas, ad eandem etiam metam, mortem, & exitium pertinges. Tu verò *perge* tantum, & animo tuo, non sine ingenti tuo malo, morem gere: quantum ad me spectat, ego libenter *tacebo*, è que domo tuà abibo. Nec falsus, aut vanus medicus. Nam *hic* æger intemperans, & conclamatus, dum salutare medicum consilium contemnit, & obstinatè animo suo morem gerit, vino potus, & variis *epulis* & ferculis *turgidus*, & distentus, & ex indigestione crudus, *et ventre* deniq; hydrope pallido, & *albo*, balnea intrat, & *lavatur* infirmus, & invalidus: *Quin* intereà per respirationem imbecillum, & languidam gravissimum odorem, & fetidos spiritus, atque adeò *Sulphureas* *Mercuriales*, tanquam teterrimos terre putrefactæ fautores,

ob spiritus incoctos, & indigestos *lentè*, & tractim expirante, & *exhalante*. *Sed* intereà dum tanquam jam sanus, & morti tamen vicinus largiùs potat, & Genio infelicitè indulget, *inter* potandum, & ipsa *vina* pavor, & *tremor* jam jam instantis & imminentis mortis index, illum *subitè*, & invadit, & *triental* poculum trium heminarù capax *calidà* potionè repletum, ipsiè *manibus* jam languidis, & morte futurà trepidatibus, *excussit*: quin & *dentes* nimio rigore *retracti*, & labiis distractis visui depositi *crepuere*, & stridorem excitârunt: *tunc pulmentaria* etiam, & omnis geueris *uncta*, lauta, delicata fercula, paullo ante devorata, necdum digesta, & frusta esculenta per vomitum ex gutture, & ore *laxis* pendulis, & languidis *labris cadunt*, rejiciuntur, & evomâtur. *Hinc* eum e vestigio calore & colore remoto gelida, & pallidâ mors invadit: hinc postèrâ die solemnitates funebres instituuntur: hinc in deductione funeris *tuba* inflatur, & *candela* in sepulturâ mortuum præcedit: Hinc *tandem* delicatulus ille tam præclaro, & invidendo mortis habitu felix scilicet, & *beatulus*. *alto* & superbo feretro, & *lecto compositus*, & multis, *crasisq;* *amomis*, castis, & aliis preciosissimis aromatibus, & unguentis largiter *lutatus*, unctus, & imbutus gelidos, & *rigidos* pedum *calces* in januam versùs urbis *portam extendit*, & extra urbem in pedes effertur. *At* *hesterni* *Quirites* & *cives* Romani, servi inquam, paullo ante domini sui mortem libertate donati, & manumissi, jam que in numerum civium adsciti, jam nõ ampliùs aperto *capite*, sed pileum, qui libertatis index *inducto illum* dominum suum *subire* & ad sepul-

crum exportarunt, combusserunt, & sepelierunt. Profectò, quemadmodum hic juvenis in morbo corporis dum salutare medici consilium effrenatè respuit & recusat, gulâ & intemperantiâ immaturam mortem sibi acceleravit. Sic qui animi morbis vitii, & flagitiis laborant, nisi Philosophiæ præceptis obsequantur, & animæ medicinæ sapientiæ, quæ vitia radicitiùs eximit, cupiditatem adimit, libidinem refrenat, ad virtutem viam sternit, sese maturè, & tempori curandos offerant, in extremû corporis, & animi exitium, & perniciem ruât, & malè & miserè mali & miseri pereant necesse est. Quare ô adolescens quisquis es, *miser*, & infelix qui quòcunque te effrenata cupiditas ducit, impelleris, salutis tuæ accuratius aliquantulum consule, ex hisce & aliis tibi periculum fac, & exemplum sumito, ne consimili vitâ, & moribus, in consimilia etiam discrimina incidas: te maturè, & tempori medicinæ curandum offer; te diligenter inspice, & explora, númnam adhuc rectè te haberas, an verò in pectore tuo aliquis morbus resideat: *Venas tuas attinge*, & examina, an rectè, & ritè saliant: *Ex in præcordiis, & pectore tuo dextram pone*; adeòq; *summas manus*, & *pedes attinge*, & periculum fac, & explora, ecquid illa adhuc sana, & genuino colore, & calore prædita sint. Quid tu heic respondebis? Ego sano adhuc corpore nullo morbo tentor: nulla in membris meis febrium indicia; *nil heic* in venis, et pectore meo *calat*; *non* extremitates manuum, & pedum meorû *frigunt*, nec proinde medici auxilio, aut tuo consilio maximopere indigeo. Itane verò ô ignave, et petulans adolescens, quod ego de morbis animi

animi pronunciaui, tu de morbis corporis intelligis, et mea verba vel ex malitiâ non vis, vel ex ignorantia non potes percipere? Siccine verò tibi nec pectus calet, nec extrema membrorum frigent? Nimiû um te à febre corporis immunem, et sanum pronuncio. At heus tu, aliq̄ adhuc febres, alii morbi, aliæ adfectiones te egrotum habent, vitiant, ac perturbant. Quæro enim ex te, ecquid etiam animus tuus ab omni morbo, vitio, & malitia immunis, & liber sit: an recta potiùs ratione, quàm adfectibus ille, et cupiditatibus regatur. Et qui animi morbi etiam corpus tuum, quod tamen te iudice adeò sanum scilicet, et validum est, estu, ac libidine inflammant, ulceribus eroduat, frigore concutiunt, fervore incitant. Quinam illi sint quæris? O extremam cæcitatem, et ignorantiam! Nempe avaritia, libido, mollities, timor, iracundia. Age enim *si forte* ingens opum adfluentia, et copia; et multa magnaque *pecunia* tibi *visa*, et conspecta est: quid tibi tunc animi? n ònne illi incredibili aviditate oculis, et animo inhias? Age verò *si vicini* tui virgo, vel *puella candida*, formosâ, et amabilis te præfente *molle* et blandum tibi *subrisit*: teque blandis et furanibus oculis intuita sui amorem et desiderium tibi in cor, et penitas medullas impressit: et te Cupido amoris, et furoris flammis adufsit: ecquid tunc etiam *cor tibi risè salit*? nunquid tunc venæ tuæ rectè micant? N ònne tunc pectus tuum illa libidinis febre accensum trepidat; et venæ subito amore inflammata subsultant. Porrò si quando in *algenti*, et sordido abaco, aut misero, ac egeno *catino* tenues escæ, ac cibi, vilis brassica, et *durum olus positum est*; et

unà cum illo ater, plebeius, et secundarius non è molli siligine factus panis, & *farina populi*, pauperum et tenuiorum *cribro*, multo adhuc furfure immixto, *decussa*, et cribrata, in cibum adponitur: Vbi tunc tua frugalitas? Ecquid tunc delicatissimum illud os tuum, non nisi exquisitissimis epulis adfuefactum, duro, & malè cocto olere, & viliore pane non offèditur? Age tûc *fances* tuas frugalib. illis, & tenuibus cibus *tentemus*. Ibi verò videre est, quod in gula & ore tuo *tenero*, & delicato, *putre* & insanabile *bulcus*, & molle aliquid luxuriæ vitium, & morbus *laet*, panem cibarium, & viles cibos non admittens; & *quod plebeia beata*, & brasicâ, ac populari, & vili escâ atterere, *radere*, & exasperare *haud deceat*; nec fas, & æquum sit. Quid autem? Nõne etiam ob levisimû quodque, sæpe etiam nullum periculum, timore, & metu fere exanimaris, & occidis? Sanè *cum* ob adversam fortunam *albus* ille metus, ac *timor* in *membris* tuis, qui te pallidum, exanguem, & exanimem reddit, tibi pilos capitis *excussis*; & erexit, & stantes tanquam *aristas* in horrescere fecit; tunc frigore tremis, *algæ*, & trepidis pedib. vix infiltib, & metu tanquam febrili horrore concuteris. Quid denique? quando ob levem acceptam injuriam iracundia, & furor te de mente, & sanitate rationis deturbat: & cum antea frigore, timore & pallore pavidus, & tremebundus, exilieris; *nunc* rursus iræ, & furoris flammis tanq̃ *face suppositâ* fremebundus excandescis; *sanguis*, et bilis exuperans in corpore tuo *effervescent*, oculi tui *irâ*, et furoris rabie truculenti *scintillanti* et ardent; et ex universo tuo corpore inhu-

mana violentia, et crudelitas emicat; nec minori igni, & calore accenderis, quàm is qui ardentissimâ febrî æstuat, aut subjectis ardentibus furiarum tædis in rabiem agitur. Nam iracundia sanguinem inflamat, spiritus turbat, oculos inficit, vocè & verba mutat, & totius adèd corporis habitum de statu suo deturbat. Sanè qua tu impulsus, & inflammatus id interdû *dicis & facis quod ipse* etiam *Orestes*, quanquã ut qui matrè Clytemnæstrâ occiderit à furiis agitatus, furiosus, & *non sanus non sani*, rationis compotis, *hominis esse* pro certo adfirmet, & *juret*: Ita ut nihil minus, quàm sanus, & ab omnibus morbis liber & immunis censerî possis: nimirum quem avaritia inquietat, libido exagitat, luxuria sollicitat, timiditas exanimat, iracundia in rabiem agitat, & de ratione precipitat: Qui quidem sunt animi morbi longè *terribilissimi*, longè perniciosissimi. Quare nihil antiquius, nihil prius meritò tibi duceres, quàm ut Philosophiæ vitæ duci, & animæ medicinæ te in tempore curandum tradas, ut ab his tam gravissimis morbis libereris, & animi, ac corporis æternam perniciem, & exitium devites, & effugias.

IN SATYRAM III.

PARAPHRASIS.

HOC quod modò dicturus, & propositurus sum, quicumque videbis, leges, vel audies, non me Persium, sed *barbatum* illum Atheniensem magistrum dicere crede, & existima, quem dixi illa cicuta potio, & *sorbisio* è medio quondam tollit. SOCRATEM dico, vel Apollinis oraculo sapientissimum, severum illum, & vehementem virtutis, & sapientiæ magistrum: Qui quòd populum Atheniensem ad honestæ vitæ rationem excitare nunquam desinere; & uni virtuti, ejusq; amicis æquus, aliorum vitia dextrè, & acriter insectaretur; potentum, (ut fit) invidiam sibi conflavit: & ab Anyto, Melito, Licone, Polycrate, Polyucto, Aristophane, injustè accusatus injustè condemnatus, venenum bibit, & mortuus est. Ille si hoc perditissimo sæculo, & quidem Romæ viveret, & hoscæ Rerump. gubernatores cerneret; haud dubiè illos iisdem verbis compellaret, & objugaret, quibus Alcibiadem Periclis pupillum generosissimum juvenem, & incredibili honoris cupidine, ob reconditæ cujusdam sapientiæ, & eruditionis falsam persuasionem, & opinionem flagrantem; & juvenis imperitus adhuc cum esset; Reip. tamen gubernacula ambire, in populi concionem ascendere, & de gravissimis Reip. negotiis decernere non dubitantem, apud Platonem in Alcibiade Majore reprehendissè legitur: Cùm enim nostri principes eodem prorsus modo neque vi orationis quâ popu-

los regant, nec prudentia, qua leges stabiliant; neq; ullâ auctoritate, aut virtute imperatoria polleant; non immeritò Socrates unumquemq; eorum cõpellaret: *Dic mihi hoc* quæso, ô *magnus* illius Atheniensium ducis, & summi Oratoris *Periclis* avunculi tui & *Ariphonis pupille* Alcibiades: Tûne *rem populi* *crastis*? tûne Remp. administras? Tûne imperium Atheniensium regendum suscipis? Tu quoq; ô Dive Imperator Romane Nero, qui tam præclaris artibus ad imperium pervenisti, jamq; ad tanti imperii gubernacula sedes, age dic mihi; tûne Romanum imperium capepsis? tûne totius mundi administrationem suscipis? Dic mihi hoc, quoniam *fretus* hoc facis? quânam virtute, quânam prudentia, qua eloquentia, qua auctoritate denique confusus tantam imperii molem, et magnitudinem in te suscipis? qui quidem nec usu, et experiètia, nec virtute, et doctrina, hac quidem ætate quidquâ vales, et per ætatem quid agendû, quid dicendum sit ignores. Nimirum nos juvenem, qui doctrina, aut usû nihil cognoverit; qui nec populû regere, leges stabilire, bonos defendere, malos punire, populi tumultus sedare, quid è salute, et cõmodo Reip. sit perspicere sciat, idoneum populi rectorem dicemus? An verò tu aliorû hominum dissimilis aliquid ultra juvenilem ætatem sapis? *Scilicet*, qui ante legitimum tempus imperium occupâris, prudens *ingenium*, & summa *rerum prudentia*, experientia, & auctoritas, (quæ aliis non nisi longo usu, longa vita comparatur) tibi soli *ante pilos*, ante barbam præcox; & *velox venit*? & tu nimirum quid in vita rectum, & injustum, quid faciendum, &

mittendum, atque adeò *dicenda, & tacenda*, puer nōstī; & *calle*? Rem profectò novam, & inusitatam, & sc̄culi nōstri miraculum! Ergo quomiam tu, quamvis adhuc juvenis, omnibus imperatoriis artibus, & virtutibus abundè instructus es, hujus tuæ prudentiæ specimina non fallacia olim edes, & imperiū nimirum, quod dici solet, te virum demonstrabit: & *ubi* fortè in magno populo seditio coorta est, & *plebecula*, & vulgus ignobile excitato tumultu animis, irà, furore, & *bile commotà* ardentibus, *fervet*, favit, & concitatur, & jam lapides, saxa, & faces, domestica, & usitata in seditione tela, volant; tum tu nimirum talis, & tantus imperator tuā prudentia, gravitate, & auctoritate, hunc populi tumultum, hanc seditionem compones, & sedabis: *animus* quæ tuus *fert*, ac desiderat vultus reverentiā, & *manus majestate* iracundæ, fervidæ, & *calida turba silentia fecisse*, & imposuisse; ut te tantum oratorem commotos hominum animos incredibili eloquentiā, & oratione gravissima mitigaturum, & compositurum audiat. *Quid* age *deinde* ubi silentium scilicet fecisti, & omnium ora, oculosq; in te convertisti *loquere*, & quibus rationibus, quibus figurarum, & sententiarum luminibus furiosā plebeculæ persuadebis? O cives Romani, & *Quirites*, ego æquum esse censeo ut ab ejusmodi tumultu desistatis. Quia *puro* quod *hoc non justum est*; *illud* aut *malè* fieri existimo, & *istud* longè *rectius* est. Egregia sanè oratio! & te tanto puero, tanto inquam principie digna! Nimirum qua audita unusquisq; seditionum rubore, & verecundiā confusus aufugiet, & latebras quæret. Tūne ad Reipublicæ cla-

vum

vum sedere paras, & de bono & malo, honesto & turpi, utili & inutili, quæ nec per te unquam quæsisisti, & invenisti, nec ab aliis didicisti, in cōsione tam jejunè, tam pueriliter, tam ridiculè dicturus es? Et quid ni tu egregius impetator sis, imperio Romano æterno honori, commodo, & æmolumento futurus; qui tam accurati, & exacti judicii sis in cōsideratione æquitatis, & juris. *Etenim* summa tibi (si Diis placet) inest prudētia, maxima præterea rerum peritia, & quid sit pulcrum, quid honestū, & *justū* per te *scis* cognoscere, & tanquā in *incipiis* & ambigua *libra geminā lance suspēdere*, & ad recti normam, ac regulam, ut in neutram partem cum ipso justo pariter libraturū, & æquatum, vergat, ac inclinēt, examinare, & corrigere: Quin verū, & *rectum* etiā, *ubi inter* falsa & *curva* *subi*, & latet, & vitia virtutibus finitima, & quali adjuncta prudētia, & sagici judicio internoscis, & *discernis*: Adde etiā quòd *nec regula* vara, & prava aut norma *varo*, & inflexo *pede*, & intorto hastili, & scapo tibi imponit, & quæ si tibi in manū detur, quæ aliorū judicia *fallit*, & quod rectum est curvū, & pravū mentitur; per te tamen, & spontè tuā rectū intelligere, & vitio sam regulam coarguere potes. Deniq; vehemēter, & severè, ut tantum principem decet, justitiam administras, nec à legum præscripto, & justitiā latum unguem discedis, & tuo judicio peccatum damnare, & *vitio* obnoxii, & reis hominibus tristem mortis notam tuo calculo apponere, & *nigrum*, infelix & mortiferum *Theta*, damnationis literam, quæ *θάνατος*, & mortem reo intentas *præfigere* potes. *Quin in* *igitur* juvenum imperitissime, (nam omisis ludis, jociq; feriò

feriò tecum agam) qui per ætatem immaturam, & rerum imperitiam, indoctus, ignavus, & ignarus imperio tanto sis ineptissimus, & nescias, quid agendū, quid dicendum sit, summam tanti imperii deponis: Et nequidquam externâ specie, triumphalifque vestis summâ pelle insignis, & decorus ante diem, tempus & ætatem tuam imperii Romani majestatem, ambire, favorem, & suffragia vulgi captare, & blando populo ad blandiri, & more canum caudam jactare desinis; qui longè melior, & aptior eras, ad tres Anticyras navigare, ibiq; meracas Hellebori, & simplices, ac puras veratri potiones sorbere, & potare, animi morbos & dementiam purgare, etcerebrum insanîâ liberare; quàm per incredibilem ambitionem, & regnâdi cupidinem ante tempus summam imperii adfectare. Age enim præclare Imperator, quânam in re hominis beatitudinem, & felicitatem collocas; & quænam omnis boni summa, & extremus finis, ad quem omnia tua referas tibi propositus est? Nimirum (si te, & tuæ sectæ hoies ex Epicuri harâ voluptuarios benè novi) patellâ semper unctâ, & cibis, cum summo apparatu, lautis & delicatis, luxuriosè, & splendide vivisse; & cuticulâ ad siduo sole, & continuâ in solatione, & apricatione curata: semper Genio, & voluptatibus indulgere, & corpus lautissimo cibo, & potu, balneis, unguentis, somno, Venere, & omnibus adeò delitiis exercere. Itâne verò Sardanapali illius vita tibi summum bonum? Certè tu deliris vetulis, & stolidis aniculis nihilo sapientior, & perditis ardelionibus nihilo melior. *Exspecta* en. sciscitemur idem de deploratissimo aliquo nebulone, quid de summo Bo-

no statuat; idem nimirum tecum dicet, & sentiet: Quin etiam *hac* delirâ annis, & decrepita vetula de ultimo bonorum fine interrogata, *haud aliud*, quàm tu modò, respondeat. At verò tunc insanis, & deliris vetulis nihilo sapientior, Reip. clavum, & tantam imperii molem, tot hominum, & populorum summam regnum adfectas? O insignè stultitiam, ô incredibilem impudentiam! Tunc ab aliis subditis tuis virtutem, & honestatè efflagitabis, qui ipse in voluptate summum bonum cõstituit? Tunc aliis imperabis, qui tibi ipsi imperare nescias; & cui fæda corporis voluptas imperat, & quò vult ducit, et abducit? *Inunc* Alcibiades juvenū stolidissimè, et majorum tuorum gloriâ, & nobilitate clarus te aliis jacta, & ostèta: *Ego sum* maternâ stirpe Alcæonides quippe filius *Dimomaches* Megacis filia; & patre Clinia, qui genus suū ab Aeace deducit oriundus. *Inunc* Nero juvenū pessimè, & te maternâ stirpe à Iuliâ gète oriundū jacta; tua nobilitate gloriare, tua generositate buccas *suffla*, altos spiritus duc, intumescè, & te ostèta: tuæq; formæ præstantia, & aliis fortunæ ludibriis superbi: *Sum candidus*, formosus, dives, nobilis. *Es*to ò juvenis q̄ et claritate majorū, & generis splendore, & vultus elegantia omnes alios antecedas; sis nobilis, sis dives, & formosus, nihil impedio, nihil invideo: *dummodo* insanâ, & delirâ vetulâ nihil plus sapias; & dummodo non quævis decrepita, & annoxâ vetula, qualis *pannucea* illa, & paupercula, *Bautis*, quæ, ut est apud Ovidium, annis, & pannis obfita, quæ cum marito Philamone, Jovem, & Mercurium hospitio suscepit, te sapientiâ æquet, te *nihil deterius*

decerius sapiat; & de summo hominis Bono interrogata, nihil pejus, quàm tu modò, respondeat: Anus, inquam, quævis vilissima, dum inopia coacta ad res viles vendendas se confert, & in foro *verna*; & servulo nequam *bene discincto*, dissoluto, & libidinoso *ocyma*, olera, & alias herbas odoratas, & hortenses altâ, & clarâ voce *cantaverit*, & cum clamore alios ad olus emédum invitaverit: Quàm autem turpe, & fædum hoc sit, & tanto principe indignum, quis non videat, quis non detestetur? Sed de hac re nihil amplius; ne delicatissimas quorùdam aures offendam, mihi quæ odium, ac periculum cõcilium: Hoc autem quis non iniquissimo animo ferat, tam iniquè comparatum esse hoc nostrò sæculo, ut plerique homines supercilium erigant; nemo autem suam ignaviam, ignorantiam, & imbecillitatem cognoscere studeat: ut nemo sui animi vires periclitari, & quid præstare possit, quibus impar sit perpèdere dignetur. Sed nimirum inconsiderato impetu maximis rebus manum injicimus, qui ne minimis quidem pares sumus. Quònam autem hujus sæculi fato fieri dicam, *tus nemo* seipsum cognoscere, nemo *in se descèdere*, se & suam vitam *tenet* inspicere; *Nemo* illud Nosce teipsum, oraculũ cælitũ delapsum sibi ob oculos ponat; Sed aliorum tantum vitam, & facta, vitia & mœurs intueamur; & in nobis, nostrisq; vitiis cognoscendis talpâ cæciores. in aliorum cognoscendis, & reprehendis oculatissimi, & linceo perspicaciores simus: adeoque *mantica* illa quæ, quemadmodum Aesopus sapientissimè dixit, in quam nostra vitia conjicimus, & quæ in tetgo dependens nostris oculis non cernitur,

tur,

tur, sed unicuique nostrum *præcedenti, tergo*, quod oculis caret *spectetur*; illa altera contrâ, in quam aliena vitia colligimus, & quæ à pectore dependet, unicuique ob oculos adfiduè versetur, & intentè consideretur, & inspicatur: & alienas denique res quisque studio curet maximo, cui nulla inter eâ cura est, qua procuret sua. Atque hoc adeò vitium hoc depravato sæculo adeò latè patet, adeò usitatum, & vulgare est, ut omni captata occasione, adeoque vel leviter alterius mentione facta, statim plenis buccis in ejus flagitiosam vitam, pravos mores, vitia, & flagitia debacchemur, & invehamur? Cùm tamen nos ipsi longè pejores, longè turpiores deprehèdamur. Quàm autè proni, & præclives simus in aliorum vitiis reprehèdis, quatumq; inde voluptatis percipiamus, cuius nimirum ex quotidiana experientiâ notissimum. Etenim age *quæseris* ex aliquo: Heus tu ô amice, *nostrine prædia Ventiidij*? Ibi ille nõ de prædiis. sed de avaritia ejus statim tibi respondebit. Non enim illud quod rogas respondet; sed Ventiidij vitam, mores, divitias, avaritiam nolenti, volenti tibi ad ravim usque recitabit, & inquit: *cujus* nam Ventiidij prædia tu, ô amice, inquiris? An illius qui Gallia præfectus provinciam totâ spoliavit? Ejusne qui *dives*, & locuples tantum agrorum in oppido Sabinorum *Curibus* possidet, & quotannis *arat*: quantum vaga illa, & errabunda avis *milvius* ingenti circuitu, & circumgyratione volando uno die *non oberret*, & circumvolet? *Hunc* cinea Ventiidij, huccine Bassium, qui suprà, quàm dici pote, avarus, & sordidus? qui malofato inpcenam genitus, qui *Dysiratis*, & *Genio* adverso &

sinistro

sinistro natus, cum sit locupletissimus litit, esurit, suum Geniū defraudat, & miserrimè & pauperrimè vivit: *Qui quādo cūq;* dies festos, & Compitalia, ut reliqui rustici, celebrat, & finita agricultura more solito aratri *jugum ad cōpita*, & loca in quadriuis, ad quæ sacrificant, vetusta, *pertusa* per quæ omnes partes patientia ad *figit*, & adpendit; tunc cum alii rustici lautiore cibo, & potiore vino se invitant; ille Euclio solus *seriole veteris*, & per multos annos reservatæ oræ *stimum*, gyplum aut picem, qua vasis os obducitur, *deradere*, & dolium vini aperire, & relinere, & inde vinum depromere *metuens*; ob incredibilem avaritiam, quod vel tantillum sumtus solito majus ipsi faciendum sit, *ingemit*, & tristi voce illud solemne, tanquam rem magni sumtus faciat, pronūciat: *Hoc bene* et feliciter vorat, mihiq; faustum, et fortunatum, et omnibus meis utile, et salutare *sit*: Ego hodie compitalia celebros. Ibi verò nihil opiparum, nihil lautum, nihil elegans in cibum adhibet; sed *tunicatum*, et multa circum se involucria habens, *cape, cum sale, si ferrat am ollam* vili cibo, et pulte plenam *mordens* & comedens, non vile vinum, et ne vappam quidem, sed *pannosam* mucidam, et spissitudine quasi floccis coherentem *facem aceri* languidi, pereuntis, et *mortis* pleno ore *exsorbet*; *pueris* intereà, et servis domesticis quasi egregiè tractentur *plaudentibus*, et hisce lautitiis, et cuppediis insolitis cum voluptate exultantibus. Sanè quo sol avariorem, et fordidiorem nunquam vidit. De hoc sanè Vectidio Bessio si me interrogas, ille satis mihi notus est. At ego te, ardeho extreme, quisquis es, non de Vectidii avaritia, et

for-

fordibus, sed de prædiis interrogaveram, utrum illa tibi nota forent, an secus: Sed heus tu, qui in Vectidii vitam, & mores tantâ licentiâ, tanta libertate, tam mordaciter; & scopiticè inquiris: ignorasne te ipsum & tua vitia longè pejora, & flagitiosiora? Quando tu igitur Vectidi, & aliorum vitia tam mordacibus verbis, & petulanti lingua insectaris; imò tua vitia sæpè in aliis reprehendis, vicissim æquo animo patienter feras si Vectidius, & alii eadem pari ratione, & jure in te regerant, & eadem talionis panâ te puniant. Sanè si ea quæ vis in alios pergis dicere; eadem quæ nõ vis ab aliis rursus audies. Nam si tu libidine, & voluptate diffusus, & præcioso ungueto, & oleo delibutus, & *unctus*, voluptatem corporis, & ocium tantum sectaris, et ab omni honesto exercitio *cesses & incute* tuâ plus equo curatâ *solè* ad hodiâ applicatione, & insolatione *figas*, ut illam nitidam, & formosam reddas: *Est* rursus quispiâ *prope te*, sed adhuc tibi *ignotus, qui* mollitie, & libidine tuâ inspectâ subinde te admonet, & *cubito tangat*, & pari acrimoniâ, & mordacitate te insectetur, cædat, lancinet; & in turpissimam tuam vitam, in impuros tuos, & detestandos *mores*, ut rem nefandam *acre* & vehementer *despuat*; *Qui* te detestetur, & extremè abominetur, quippe Cinædû, & Pathicum hominem insigniter nefarium; *penem*, et testes, & podicem, *lumbi arcana*, & reliquas pudibundas corporis partes depilantem, *runcantem*, & ut Draucis tuis mollis, & tener videaris, crines inde radicibus extirpantem; & se universo *populo* Romano horrendo concubitu prostituere, eiq; animum, & podicem libidine nefaria *marcentes*, tanquam *vulvas*

præbere, *pandere*, & muliebriaturpissimè pati, & meretricum more impurissimi corporis quæstum facere. Et qui rursus dicat tibi: Heus virorum detestabilissime, quid Ventidii sordes, & avaritiam tam liberaliter insectaris: Nonne te tui pudet, cum natura virum te fecerit, temetipsum per inauditum, & infandum flagitium effeminâris? Cur *tu*, cum in facie, vultu, ac fronte vir appareas, inferioribus corporis membris in mulierem degeneras, & muliebria pataris? Nam quare si quis faciem tuam videat quantavis precii vir apparessi nocturna tua, & arcana facinora, quovis Cinædo infamior deprehenderis? Et cum tu in mento, & *maxillis* tuis *balanatum* illud *Gausapi*, barbam, inquam, tuam instar Gausapis, & stramenti villosi balanino unguento madidam *petas*, & viri tuentibus appareas; *Quare* tu id quidquid in verendis corporis tui partibus natura abconsum voluit, detegis, pilotro denudas, & ut mollis, imberbis & delicatus pumilio amatoribus tuis videre, pilos inde abradis? Et cur denique mentula, & priapus tuus, tanquam *gurgulio* in *inguinibus* tuis depilatus, ac *desonsu*, *exstat*, & eminet? Nam quid sibi hæc volunt, nisi te nefandæ, & effrenatæ libidinis hominem flagitiosissimū esse? At heus tu hominū turpissime pariter, & stultissime! *Quid* opus est te inanè & inutilem laborem ludere? Quorsum attinet tetito conatu eniti, ut obscænas corporis tui partes glabras reddas; cum ibi à naturâ datum sit ut evulsi pili renascantur? *Qui* sanè licet omnia agas, & nihil intermittas quod ad corpus poliendum, & cutem lævem, & glabram reddendam conducatur: nunquam te ta-

men pusioni, & delicato, ac imberbi puellæ similem reddideris; præsertim in inferioribus illis corporis partibus; in quibus pilorū, & crinium radices itaissimè infixæ tanquam herbæ inutiles, & filix in neglecto agro non facillè stirpitibus eradicantur. Nimirum *licet quinque* rubustissimi *palæstræ* & *athletæ*, hæc pilorum seminaria, & pectinis, ac testium tuorum *plæstaria* purgent & inde pilos, tæquam inutiles herbas, extirpent, & *evellant*; & lumbos *natesque* tuas adiduis balneis, pænè coctas, & *elixas aduncâ* & incurvâ *forcipe*, quæ crines eruant, *labefactent*, & quasi aratro adidudè arent, & invertant; *tamen ista* crinium *filix*, quæ in illis partibus tam altè radices egit, nullâ cultura, *nullo aratro* penitus, & radicitus extirpatur, ac *mansuescit*. An non confiteris, cum hæc Vectidius, & alii de te passim divulgent, dignas & promeritas tibi ab illis vices repedi? Atque ita dum singuli in aliorum mores, vitam, & vitia inquirimus; aliis rursus in nostros turpes mores, & flagitia inquirendi ansam præbemus; Et dum alieni mores nobis, nostri alii displicent. Nimirum idem nobis in vitâ humana usu venit, quod militibus & gladiatoribus in præliis. Nam veluti illi, dum magno impetu adversarium invadunt? interim corpus tamen exponunt rursus, & patefaciunt vulncribus, & dum hostem plagis consumunt, ipsi totidem plagis cæduntur. Ita & nos dum alios *cadimus*, alii que venenatæ linguæ spicula, calumnias, & maledicta ingerimus: *invicem* rursus aliorū calumniæ, & maledictorum *sagittis* nostra corpora, & *crura*, nostram vitam, & mores ferienda, & proscindenda *præbemus*, atque exponimus. Nem-

Pe hoc pacto vivitur, sic vivere didicimus, & novimus, ut alter alterius vitam carpat, & idem rursus ab alio experiatur: ut semper alii alios contemnant, eludant, rideant: neque quisquam sit, qui vitia sua agnoscat, multò minus ab alio reprehendi, & moneri se patitur. Sed nimirum licet vitis, et flagitis sepultus pænè sis, illa callidè teges, & dissimulabis, ut interim vir bonus, & quantivis precii vulgo habearis: Nempe illa ignoratur à vulgo, quia nobilitas, & opes tue illa abscondunt: & hinc illam alios reprehendendi libertatem, & licentiam tibi arrogas, & usurpas. Itane verò tu famam potiùs, quàm conscientiam curas? & quid alii de te loquantur, non quid tu de te tibi conscius sis moraris? Homuncio stolidissime! Licet omnes Deos, & homines vitia celes, te ipsum illa nunquam celaveris. Scilicet tu aliis potiùs bonus videri, quàm tibi esse cupis? & (ut quidam gloriosi, & vani gladiatores) *subier illa*, & in intimis corporis recessibus, *caecum* & occultum, nec cuivis cognitum *vulnus* ab adversario acceptum *habet*, sed militare cingulum *balthus*, lato, & copioso *auro* exornatum illud vulnus *protegit*, & occultat, & suo splendore spectantium oculos perstringens, conspici non sinit: In intimis inquam pectoris & animi tui penetralibus, & recessibus, multorum flagitiorum, ac scelerum tibi cōfiscus es; Sed illa splendido, & sancto habitu, fumosarum imaginum commendatione, generis nobilitate, magnis opibus, ac honoribus velas, & abscondis. Hominum turpissime, & stolidissime: *Ut mavis*, ut tibi lubitum est, aliis te bonū, & quantivis precii virum, sanum, et nulli animi morbo obnoxium menti-

te, & vendita; nihil moror, nihil impedio: Quin etiam tibi ipsi *verba da*, & *nervos*, ac membra corporis tui gravi vulnere impedita falle, & *decipe*, & te tibi ipsi, cum flagitiosissimus sis, virum optimū & sanctissimum, *si potes*, (quod tamen nunquam poteris) persuade. Nimirum te ipsum, reclamante conscientia, decipere non poteris; quare aliis te virum bonum jacta. At dices tu mihi; *Cum* alii viri me censeant virum longè optimū; & tota *vicinia* atque adeò universa civitas *me egregiū*, & præclarum *dicat*, & sentiat: an ego tot hominum tam honorificentissimo de me testimonio *non credam*? Itane verò hominum stolidissime, tu aliis plus de te, quàm tibi ipsi credis? Itane potiùs quid alii tibi dicāt, quàm quid tu ipse, & conscientia tua tibi dicitat, expectandum existimas, & de opinione hominum totus dependes? Non ipsam Virtutis viam ingressus es. Quin tu potiùs te ipsum examinas, & conscientiam tuam de te consulis. Quod si illa alia, quàm vulgi sermo, & opinio de te tibi pollicetur, & dicitat; frustra quid alii de te sentiant animadvertendum duxisti: Nam o homo flagitiose, & *improbe*, si tu nullam illarum virtutū, quas alii in te prædicarunt, possides; si tu avarus in credibili auri, & argenti cupiditate flagras, & vel *nummo viso* ejus desiderio, & amore *palles*: Si Cinædus, aut draucus turpissimus, & libidiniosissimus es, & libidini tuæ morū geris, ac frena effusissimè laxa, & *quid quid* tandem *amarum*, & sua tentigine, & pruritu tanquam urtica, & scabies urens, & titillans *tibi in penem venit*, illud studiosè *facis*, & præceps exsequeris; & in omnem adeò libidinem te effundis. Si deniq; es callidus

IN SATYRAM V.

PARAPHRASIS.

SUMMIS Poëtis, ac *Vatibus* Anni Cornute preceptor carissime, *hic mos* usitatâ consuetudine receptus est, Deos, Apollinem, & Musas in auxilium sollicitare, & ab illis *centum voces*, centum ora, & totidem linguas, mille itidem sonos, in carmine condendo, & pro dignitate exprimendo, ut scilicet scriptis dignitatem, & magnitudinem rei adæquare possint, votis *sibi poscere*, & exoptare; quoties nimirum rem aliquam grandem, ac tristem, opus aliquod arduum ac sublime, tumido, ac Tragico orationis genere persequi & exponere adgrediuntur. *Sed Tragædo* alicui, dum alterius personam imitatur, *maesto*, gravi & lacrimoso, tristes quædam, & lugubris *fabula*, calamitosi; & infelicis exitus, gravi stylo, & sublimi carmine scribenda, magno etiam spiritu, & intentis laterum viribus pronuncianâ, & *hianda* proponatur. *Sive* etiam fortè aliquod Epos, & Heroicum carmen de Imperatorum, & ducum cruentis bellis, & rebus maximis gestis pandere; & *vulnera* bellicosi, & ferocis *Parthi* ingenti clade adfecti, & morte vicini, in fugâ vel *ab ipso* *inguine percussio ferrum*, & sagittas *ducentis*, et in hostem retorquentis describere velit. Sed dices tu mihi, ô Cornute: Nam quid sibi vult, ô Persi, hoc tibi inusitatum, hoc Tragicum, et grande carminis initium? *Quorsum* autem tu *hæc* centum ora, totidem linguas, et voces tibi exoptas? *Et quantas*, denique *offas*, quantos globos, et vocum tumo-

res et ampullas grandis, *robusti*, inflatiq̃ue *carminis* initio paras, et *ingeris*, ut te *centeno gutture*, totidem vocibus, ac linguis *niti*, et verborum offas, et tumores captare, *parac* necesse sit? Sanè quicumque *grande* aliquid &, turgidum, tumidumq̃ue carmen *locuturi* sunt Poëtæ: Illi demum in monte *Helicone* Musis sacro vanos spiritus, fumos, & *nebulas*, ac nugas atque inania Poëtarum figmëta fumis, & nebulis non dissimilia, quo tumida illa, & vægrandia carmina faciliùs absolvant, *legunt o*, & captant; dum tragicos, & tristes exitus Deorum, regumq̃ue describere adgrediuntur: *Si quibus* nimirum *aut Proenes* olla, in quâ Ithym filium occisum decoxit, et marito regi Tereo, ob vim sorori Philomelæ illatam, in cibû adposuit: *aut si quibus olla* illa nefanda Atrei, in quâ fratri *Thyeste*, quod uxorem suam Europam adultèrio nefario polluiset, in sceleris ultionem Plysthemem, & reliquos filios occisos, & decoctos in cœnam apposuit, *fervebit*, & summâ animi concitatione describenda erit. Qualis olla fervens, intumescens, & ebulliens *sæpe cœnanda*; quales Tragici eventus sæpe describendi, & in scenâ recitandi sunt Tragædo illi *Gliconi* joci pariter, ac moribus planè *insulso*, & inepto. *Tu* autem, ô Persi, à Tragico illo, & tumido scriptiois genere alienus es; *nec* dum Poëmata tua recitas, more aliorum, buccastumidis verbis inflas, neq; ore & malis tuis (tanquam *folle* utque laboranti sæpe respiranti, & *anbelanti*, dum per ignem, quem inflat, ferrum emollit, & inter fabricandum *masa* ejus in *camino coquitur*) *ventos* spiritusque *premis*, & summis laterum viribus attrahis, & remittis: *Nec*

Tragicorum & grandium Poëtarum more, dum sublimia carmina specularis, eorumque magnificam recitationem, & prononciationem tacite tecum meditaris, absonâ voce, & *clauso*, & confuso *murmure* nescio quid sublime, & *grave* cum stridore *ramcus* submurmuras, & *ineptè tecum cornicaris*: Nec denique inter recitandum *umidas* tuas *buccas*, dum multum spiritus intra illas concipis, easque ventosis, & inanibus verbis inflas, quasi *scloppo*, & violentiore spiritus, cum sonitu, elisione *rumpere* studes, & *intendis*. Nimirum tu Persi, si bene te novi, illa tumida, Tragica, & bellicosa vanorum Poëtarum verba, & opera averfari: Sed *verba roga*, quibus in populari sermone quotidie utimur, versuum *acri*, & venustâ *juncturâ*, & cõpositione accuratâ *callidus*. acutusque *sequeris*, & usurpas: Et illa verba non plenis, ac turgidis buccis, sed *ore modico*, ac modesto, & sermone non nimis adfectato *teris*, & expolis: *Doctus*, & peritus artifex Virtutem, & Sapiëntiam, ejusque majestatem, & dignitatem commendare; & contra *mores* hominũ pravos; & ob culpam malamque conscientiam *pallentis*, & trepidantes, *radere*, mordere, & insectari: vitiaque Romanorum, & *culpam*, non petulanter, & rustice, sed *ingenno ludo*, liberali, ac urbano joco, & salibus Satyricis decore *desigere*, & notare. Quin tu igitur, ô Persi, *hinc* ex simplicibus verbis, & populari sermone, & ex corruptis, & deperditis hominum moribus corrigendis, & emendandis tibi illa sume, & *trabe* quibus, & *quæ dicas*, & in quibus ingenii vires exerceas; Ve grande autem, & turgidum dicendi genus; magnorum regum & heroum res gestas, miserabiles,

rabiles, & Tragicos exitus, & *mensam* Procnès, & convivium Atrèi, *cum capite*, manibus & *pedibus* Plifthenis patri Thyestæ in cœnam appolitis, *Nizce-nis* civitate Laconię regibus *relinque*, & *plebeia* ac popularia *prandia noveris*, nec altiloquas, & regales materias, sed quidquid ad communem vitam, & mores spectat, humiles, & moderatas tibi proponis. Quoniam igitur tibi centum linguas, & voces; quæ tantâ animi concitatione exoptas? Meritò tu, ô Cornute, hoc tam insolens mihi exordium, ac Proœnium demiraris, & quid hoc ipso mihi velim non injuriâ quaris? Sed longè alia hujus exordii mihi ratio, longè aliud consilium. Etenim *non* ego *equidem* eò centum voces, centumque linguas mihi dari expeto, nec *hoc* tantâ vocis contentione operam do, & *studeo*, ut *pagina*, & liber meus *bullatis nugis*; & vanis tanquam levissimo vento inflatis carminibus, & ineptis, more multorũ *mibi* impleatur, *turgescat*, & intumescat; liber, inquam, & pagina, quæ *idonea* sit *fumo*, rebusque levibus, & nugacibus, verbis amplis, & magnificis *pondus*, & dignitatem *dare*; cui tamen nihil rei, veri, & solidi subfit. Ut ita de re levi, & vanâ grave, & magni ponderis carmen cõscribam. Quod & à meis moribus alienum nosti, & cujus te præceptorem non habui. Nam & ego scripta mea hæc tunc publici juris fieri nũquam passus sum, quod illa accersitis verborum pigmentis, & inutili fuco destituta, ac proinde ad popularem ad plausum, & vulgi favorem aucupandum inepta esse, non ignorem. Verũm, ô Cornute, *loquimur* inter nos *secreti*, & sine arbitris, nec quæ dicam in theatrum, ut publicè recitentur proferam,

ne quis illa ex ficto potius amore, ostentatione, & jactantia, quàm ex non simulatâ amicitia, & veritate profecta existimet) hoc uno nomine tantâ dicendi vim, tantam copiam, & ubertatem mihi exopto, ut summam animi mei erga te benivolentiam, & gratitudinem verbis solum declarem, & satis exprimam. *Nunc* nimirum tibi, *Cornute*. *Camœnâ*. Musis, & Apolline hortante, & instigante, intima mea viscera, penitas pectoris, & cordis mei latebras, & ipsos adeo mentis recessus, & abdita, & profunda penetralia recludimus, & referimus, adeoque animum, & precordia nostra, examinanda, excutienda, exploranda, inspicienda tibi damus, & offerimus: *Et quanta pars hujus nostre animæ*, pectoris, cordis, *tua sit*, sanè dimidia, imò quanta quanta tota; illud nimirum tibi ò *Cornute*, *amicæ dulcis*, & fidelis ostendisse, & verbis ac verbis demonstrasse summopere me *juvat* & delectat. Quòd si hæc credere cunctaris, me isq; verbis fidem non habes, fac tantum periculum, & animum meum; tanquam emtores vasa, *pulsa* & explora, & scripta, ac dicta mea examina; cum accuratissimus morum, & animorum sis explorator, & satis *cantus*, & circumspectus amicum verum à falso, & ficto discernere; & *quid* tanquam *solidum*, integrum, & sincerum *crepat*, & sonet, & *pieta*, fallax, simulata, & adulatricis *lingue tectoria*, tanquam parietum incrustationes, quæ exterius albæ, intrinsecus nigrum, & deforme lutum continent, *diagnoscere*. *Hic* nimirum citius mihi dies quàm oratio, & verba quàm res deficeret. Quæ enim tanta potest existere ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum orationis

genus

genus, quo possim ea, quæ apud animum meum cogito, non dicam orando planè exprimere, sed leviter tantum adumbrare? Atque hic *ego* adeo omnes *Musas* ex *Helicone* accersere, omnes *Deos*, & *Deas* in auxilium sollicitare, ab iisque centum ora, *centenas* linguas, mille *voces*, & sonos mihi exoptare *ausim* & *deposcere*, non ut nugas, & ineptias magnificis verbis, *Tragicâ* orationis pompâ, & magnis vocû lateribus exprimam; sed *in quantum te*; ò *Cornute*, ex merito amem, quanto te honore, & amore psequar, & quantum denique te *mihi in sinuoso* meo *pectore*, in animi, & cordis mei intimis recessibus, & anfractibus *fixi*, & recôdididi; illud omne *para* & non simulatâ *voce* ex imis præcordiorum penetralibus *extraham*, & *verba* mea, quæ animi characteres, & signa esse volo, *hoc totum* aperiant, & *resignent*, & ex operto in optatum, & lucem proferant quod in *arcana* pectoris mei *fibrâ*, & in intimis cordis mei *latet non enarrabile*, quod nulla humanâ voce exprimi, nullis verbis explicari, nullâ oratione adumbrari quidem potest. Quantum autem tibi debeam, quantumque acceptum referam, malus sim si non agnoscam: impius, et ingratus si non gratâ mente, ac memoriâ recorder, & repetam. *Qui* quidem plurimum bonorum mihi auctor, quàm ipsi parentes, ipsa natura: Cum ab his vivendi tantum, à te verò rectè vivendi rationem consecutus sim; adeoque horum beneficio animam tantum, tuo autem homo redditus sim. Quapropter si ego pro tuis immortalibus in me meritis tibi parum cumulatè gratias egero. illud non meo animo sanè gratissimo, sed magnitudini beneficiorum tuorum

orum attribue; & à me, qui majori voluntate, quam facultate te colo, id quod possum, non quod volo, ac debeo, accipe. Sanè quoad longissimè spacium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam ultimam mecum repeto memini adhuc, quod *cum primùm* circum annum ætatis sextum decimum *mibi* ex E-phebis egresso, & huc usq; sub præceptoris imperio meticuloso, & *pavido* prætexta *purpurea* puerilis vestis *custos* ingenuitatis, & pudicitie jam maturiori ætate *cessit*, & deposita est; *Et bulla* aurea ingenuorum puerorum insigne, ex more *Diis Laribus*, Penatibus domesticis, caninâ pelle *succinctus*, & Gabino habitu cinctusque supra sinistrum humerum velatis, & obvolutis, *donata*, atque suspensa *pependit*, & relicta fuit: *Etiam* etiam *comites* & pædagogi mei, jam non mihi ampliùs tristes, austeri, & morosi, sed *blandi*, & iucundi laxato disciplinæ capistro adultiori meæ ætati largiùs indulgebant. Porro *cum* vestem puram, & virilem tyro summi, ætatemq; militarem attingi, & primis militiæ stipendiis clypeus ac *umbo* sine omni insigni *candidus*, in *totâ* *Suburrâ* regione urbis nobilissimâ, scortorum & omnis generis deliciarum illecebris plenâ, *oculos jam impune sparsisse*, & quæcunq; vellem liberè, & amoto metu pervagari *permisit*, jamque liberior vivendi potestas fuit, & nihil jam ampliùs ætas, metus, & magister prohibebât: *Et denique* *cum* primùm in deligendo. & persequendo vitæ generationes inivi; Et verò vitæ humanæ *ut* dubium, & *ambiguum est*, & primos inquilinos, in biviù deducit *et* quin juvenilis *error* vitæ humanæ ritè regendæ ignarus, & *nescius* *trepidus* juvenum, & in-

certas nunc huc, nunc illuc inclinantes *mentes in ramosa* vitæ humanæ *compita*, & biviùm (in quo in dexterum, & sinistrum viæ, tanquam rami in arbore, & cornua duo in Pythagoræ literâ *Υ* porriguntur) *deducit*, & dubios relinquit, arduamne illam, & difficilem dextram virtutis, & beatitudinis viam pergant, an pronam illam, & maxime tritam sinistram voluptatis, & miseriarum viam insistant: Ibi, inquam, ego adolescens, vitæ humanæ radis, propter imbecillitatem iudicii in hoc bivio vitæ humanæ constitutus, & quid agerem dubius, & incertus, cum per me nihil saperem, alios sapientiores audivi, tuo ductu, & auspicio vitam instituendam duxi, *metibi* erudiendum *suposui*, tuæque institutione, & disciplinâ excolendû tradidi. *Tu* autem ô *Cornute*, me non repellis, sed juvenilem meam ætatem, & *teneros* meos *ânos* instar fidelissimæ nutricis *materno* quodam, & vehementi amoris adfectu *Socratico* *sinn* sanctissimâ & sapientissimâ disciplina *suscipis*, & tuæ sapientiæ & virtutis Ambrosiâ, & nectare enutris, & à teneris annis in humanitatis studiis me informas; tibiq; ita me adjungis, ut quoad possem ac liceret à tuo latere nunquam discederem, tuâque consuetudine doctior, & honestis actionibus peragendis aptior redderem. *Tunc* demum tua conversatione, & informatione sapientior illam sinistram pravitatis viam nosse, & studiose vitare, illam dextram virtutis & sapientiæ ritè sectari, & bonum à malo, verum à falso, vitia à virtutibus dignoscere capi; Nec dici pote, quam brevi tempore adolescentie, & vanitatis studiis abjectis ad frugem redierim. Nempe norma illa, ac *regula*, & amul-

sis virtutis, & veritatis, quæ junioribus non satis perspecta imponere, eosque *fallere*, in errorem inducere, & falsum pro vero, malum pro bono venditare *sollers*, facilis, & proclivis est: à te accuratè mihi demonstrata, meæque vitæ solerter accommodata, & *apposita*, præteritæ meæ ætatis *mores* brevi emendavit, & verum à falso distinguere, & *inertos*, curvos, & vitiosos mores, à virtute, & honestis actionibus discernere docuit, & *ostendis*: Tunc denique virtutis, & sapientiæ majestate perspecta, cum vitiis meis bellum gerere, juvenilis animi adfectus exuere, tunc priora studia, & mores in me improbare, & damnare occipi: tunc demum voluptas, ira, libido; & adfectus denique, & *animus* à *ratione* oppugnatur, & *premitur*, & tandem à salubrioribus præceptis *vinci*, & rationi imperium concedere studet, & *laborat*. Nimirum veluti per *artifices*, vultum in ceram, aut argillam manibus suis inducunt, illique imaginem aliquam imprimunt: Ita animus meus tanquam tabula rasa rudis, cereus, & imperitus *vultum artificem*, & formam singulari industria, & solertia perfectum *sub uno* artificis instituentis, & informantis *pollice ducit*, & adsumit; & teneri mei mores tua informatione in omni virtute & honestate conformantur, & confirmantur. Et quid ni te magno honoris, & amoris adfectu, prosequar; qui cum olim tanta mihi consuetudo, tanta familiaritas, tanta denique vitæ, & studiorum similitudo. Memini enim adhuc, & recèti memoria sæpe mecum recolligo familiarissimè olim *secum* vivere, & *longos soles*, integros dies de rebus jucundissimis, & honestissimis conferendo *consumere*;

sumere; nec dies solùm integros, verum etiam *primas noctis* horas *epulis*, cœnando, & differendo *decerpere*, & finire; nec solùm commune *secum* mihi hospitium, sed idem etiam victus, eadem etiam cõsiliorum studiorumque societas: Dum nimirum eadem semper volumus, & nolumus, eadem utrique placent, & displicent, eadem uterque studia appetimus, & averfamur; *ambo* operas nostras aut pariter exercemus, aut ab illis *pariter* requiescimus; adeoque *unum opus* studiorum, & exercitationum, unam *requiem* & animorum relaxationem *disponimus*, & uno, & eodem studio, & quiete, ocio, & negotio fruimur; *atque in mensa verecundâ*, & honestâ illo tempore, quod alii conviviis, alex, & commestationibus impendunt, *seria*, & austera, tædia, ex severioribus studiis contracta, jucundis, & modestis salibus, & joci *laxamus*, & temperamus. Sanè in quibus cum tanta semper vitæ, & studiorum conjunctio fuerit, *non equidem dubites*, hoc ex singulari astrorum inclinatione, conjunctione, & fatali ad eò influentiâ aliquâ provenire: & occulto aliquo, sed *certo* stellarum *fadere* & lege *amborum* natales *dies consentire*, & convenire, & *ab uno* & eodem *fidere*, & stellarum dispositione *deduci*. Quocunque etiam tadem modo illud fiat: Sive *Parca* non mendax, & fallax, vel Fatum *veri tenax* & immutabile *nostra* nativitatis tempora *equali librâ suspēdit*, & trutinavit: *Sen hora* nativitatis nobis tam *fidelibus* amicis nascēdis exorta, & *nata*, *duorum* nostro- rum ad eò *concordia fata*, studia, & voluntates, *ingeminos*, Castorem, & Pollucem sidus cœleste (qui quòd amicitiam fraternam cõstantissimè coluerint,

non immeritò amicitia præesse, & mores, animosq; conjugere creduntur) *dividit*, & quamvis diversis temporibus nati sumus conjungit: Sive denique nos ambo *Sasurnum* stellam maleficam, & huic nostræ conjunctioni, & amicitia inimicum, & *gravemur* *nostro love* quem in Horoscopo beneficum, & benignum positum habemus, mitigamus, *frangimus*, & impedimus: aut quocunque tandem alio fidere nati sumus. Certè *nescio* ego quodnam fidus, & *astrum* suo beneficio *me tibi temperat*, & pari morum similitudine, & voluntatum concordia conjungit, quod tamen fidus *cerrò est*, & certò esse constat. Porò nunquid causa esse potest, cur te non, ô Cornute, ut hæc omnia silentio præteream, & relinquam, non æterno amoris, & honoris adfectu colam; qui quidem tantâ animi firmitudine, & constantiâ non solum studio Sapientia et virtutis incumbas, verùm etiam juventutem præceptis institutisq; Philosophiæ imbuas. Idque eo impèdio magis, quod in hoc mœrum, & studiorum barbarie tam pauci inveniantur, qui hanc Sapientia Veræ, & solidæ virtutis viam insistant. Nam cum varia hominum studia sint, & alii aliis delectentur, tu solo virtutis, & Sapientia studio unice delectaris; quod non nisi magni, & verè liberi animi indicium. Sanè cum multi ad Beatitudinem tendant, pauci eam veram, quam tu secutus, & adfectus, cõsequitur. Nimirum *hominum* formæ, & *species mille*, imò infinitæ sunt, & *usus*, actusq; rerum *discolor*, multiplex, & diversus est; Et unicuique hominum suum velle, sua voluntas, & voluptas inest; neque iisdem studiis omnes capiuntur; nec voto uno

inter

inter homines vivitur; sed eadem pænè est sententiarum, & studiorum in animis, quæ specierum & figurarum in corporibus varietas; adeoq; quot capita, tot studia, & de summo Bono opiniones, & sententiæ: Alius honores, alius voluptates, alius divitias, alius alias nugas sectatur. Nimirum *his* grandem pecuniæ summam accumulare studens, *sub sole recens*, & jam primum, exorto in India Orientali, ad quam navibus penetrat, pro *Italicis mercibus*, quas eò vehit crocum, Zingiber, casiam, *rugosum* & siccatum *pipet*, et *grana curoni pallentis*, & exanguis, & alia aromata, *masat*, & in Italiam reportat, ut ita magnas facultates, summas divitias sibi paret. *Hic* alius alio studio detinetur, corporisq; delitiis, & voluptatibus indulget, & vino epulisq; *satur*, ac plenus *somno irriguo*, liquido, & humectante pingueferi, & *turgescere* & cutem potius curare, quàm opes, & facultates congerere *maunis*. *Hic* tertius militiâ, et exercitationibus delectatur; & *campo*, ludis, armisq; campestribus *indulget*: *Hunc* infamis illa *alea* delectat, & unâ cum omnibus suis facultatibus atterit, *decoquit*, & consumit, & ludo exhaurit, & ad inopiam redigit. *Ille* denique *in* infamem corporis libidinem & *Venerem putris*, promtus, & solutus est. *Sed* hos plerosque olim suorum studiorum, & vitæ serio, sed serò poenitentia invadit; & plerique omnes accepto damno demum sapiunt. Nam illi qui suam vitam avaritiâ, ludo, voluptate, libidine inhonestè, & flagitiosè transegerunt, cum in senectute, ad quam luxu & intemperantiâ plerique ante tempus pervenerunt tartarea illa, & *lapidosa*, ac nodosa *Chiragra*, & poda-

gra membrorum nodos, & manuum, & pedum *articulos* & juncturas, senilis, & inutilis corporis membra, tanquam *veteris*, annosæ, & aridæ *fagi ramalia* cõuderit, *fregervis*, & invalerit; & senectus ipsa morbos variorum morborum agmina illis induxerit, & nulli bonæ rei, nulli honesto labori, & negotio amplius usui sunt, sed jam inutilia terræ pondera: *Tunc* demum præteritæ vitæ, per flagitia, & voluptates transactæ eos frustra pœnitere incipit; tum præterita sua studia, & vota damnant: tunc *dies* vitæ suæ *crassos*, nubilos, & caliginosos, & mortis tenebris, quàm vitæ luci viciniore, & *vitam palustrem*, nubilis, & caliginibus tanquam nubilo offusam, & involutâ tam flagitiosè *transisse*, & *vitam* morti similè, & nulli præclaræ rei intentâ *sibi relicta*, & transactâ nimis tardi, nimis *seri*, cum elapsa revocari nequeat, *ingemere*, & cū lacrumis deplorare. At tu, ô Cornute, vitæ, & studiorum tuorum longè aliam subductâ rationem tenes, qui ab illis, quorum vita mors est, & vivi hominis sepultura, longè es alienissimus. Nam te optimorum Philosophorum, & sapientissimorum Stoicorum *nocturnis*, & diurnis libris, & *chartis*, quas die, & nocte sine defatigatione assidue versas, & evolvis immorari, immori, & *impallefcere*, & præclaro studio maciem, & pallorem tibi contrahere *juvat*, & delectat. Nec fatis esse ducis animum tuum optimarum artium, & disciplinarum studiis informasse; sed juventutem etiam præceptis institutisque Philosophiæ informas, & optimis moribus imbuis. Etenim tu *juvenum* informator, præceptor, & *cultor* teneras illorum *aures* tanquam *furculos*, *fruge Cleanthæ*, & Stoicâ

Stoicâ Sapiëntia, & disciplinâ ab omnibus fordibus, & opinionibus *repurgatas inseris*, & implantas, & discipulorum tuorum animos à vitiis emundatos bono doctrinæ cultu instruis, Virtute scilicet, & Sapiëntiâ, & liberalium artium studiis; quo ipso nihil amplius, nihil sublimius in rerû naturâ cogitari potest. Vos autem, ô quibus vitæ, & salus curæ est, & quicumque salvi, & beati esse cupitis, quicumque etiam estis divites, & pauperes, *juvenes*, & *senes hinc*, ex Philosophia rerum divinarum humanarumque scientiâ vestro *animo certum* aliquem *finem* ad quem omnia vestra dicta, & facta referatis, & vestræ senectutis solamen, vestris *canis* aliâs *miseriis* futuris *visicis* parate, & petite; Virtutem scilicet, & Sapiëntiam, quæ omni ætati, maxime senectuti accommoda; & sine quibus nullum firmitus senectuti præsidium; cum nimirum conscientia benè actæ vitæ, & multorum benefactorum recordatio sit jucundissima: Sanè sine quibus vita humana, quantacunque etiam illa sit, misera, & calamitosa. Sed heic rideâsne an indigneris flagitiosam, & deploratam juventutis Romanæ socordiam, & ignaviam, quæ aureum illud juvenilis ætatis tempus voluptati potius, & ocio, quàm Philosophiæ, & optimis artibus mavult impendere, aut saltem in extremam usque senectam Sapiëntiæ studia rejicit, & in craftinum, ac futurum tempus differt; & dum semper incipit; nunquam incipit. Nimirum nostri juvenes, quamvis non, ut alii homines insulsi, & inhumani, humaniores litteras, & Sapiëntiam, prorsus rejiciât, & cõtemnant: tamen operis adgressionem solita negligentia semper differunt, & pro-

craftinant, & diem è die ducunt. Etenim si illos flagitiosæ suæ inertiae accuses, & increpes, & sui officii acrius aliquantulum admoneas; ibi illi solemne illud corvis, ignavis, & impuris statim tibi occinunt, & regerunt: *Cras hoc fiet*, cras virtutis, & sapientiae studia demum serio, & sedulo capeſſam. *Et* ubi illud cras jam venit, tunc rursus *idem* quod se hodie facturos pollicebantur, *cras fiet*. Quin etiam ubi illos aliquantulum urgeas, te objurgare non erubescunt, & inquiunt: Nam *quid* usque adeò me urges, ut hodie illud faciam, quod cras æquè bene à me fiet? & ne hunc quidem diem unicum mihi indulgendum, & rebus meis componendis mihi vis concedere. *Quasi* verò hoc *magnum* aliquid, & memorabile sit. Non enim ego immensum aliquod temporis spacium, aut annum aliquem Platonicum mihi desidero; unam tantum dieculam mihi ocio, & voluptate tranſigendam expeto: *Nempe* unam mihi *diem donas* cujus quidè jactura est longè omnium levissima. *Sed* heus tu juvenum ignavissime, *cum* jam *lux* illa *altera* quæ te incepturum pollicebaris, *venit*, & ex crastino die hodiernus factus est, & tempus præſens, tu tamen nundum incipis: *Et sic hesternum* illud *cras jam* perdidimus & *consumſimus*: tunc ecce *aliud cras*, & rursus aliud cras, quod tu continuo tibi donari expetis, *hos* integros *annos*, imò totam tuam vitam *egerit*, & consumit; dum tu nimirum cras semper expectas, & nunquam incipis. *Et* quod omnium maximè dolendum, hæc omnium annorum, & totius ætatis tuæ jactura nulla prorsus ratione refarciri potest. Nam illud cras, quod tu subinde tibi dari postulas, & incu-

riâ, ac negligentia tuâ perdis *semper paululum ultra eris*, & te præcedit, nec unquam postea, etiam si diligenti studio illud compensare cupias, à te comprehendi rursus, & præverti poterit. Nimirum preciosissima vitæ tuæ ætas ocio, & ignavia elabitur, & quæ elapsa nunquam revocari, unquam reduci potest; non magis quam verni flores, ubi semel deciderint; quàm aqua fluminis, ubi semel præterlapsa est; non magis quam in curru rotarum posterior priorem nunquam attingit, & quamvis adſiduè sequitur, nunquam tamè adsequitur. *Quavis enim* ô posterior in curru *rota*, prior *rota* *prope te* sit, ut jamjam te illam attingere posse existimes, *quamvis* etiam illa sit *sub uno semone*, sub uno curru ligno, quod ad jugum inter equos excurrit, & extenditur; tamen tu prioris rote ferrum quo apſi munitur, & *cantham* adſiduè *se versantem*, & currentem *frustra* inſectabere, & nequidquam conaberis inſequi, *cum* tu posterior in curru *rota*, & in posteriori, & *secundo axe curras*, & circumvolvaris, & priorem rotam, quæ semper licet minimo interſticio, aliquo tamen loci intervallo te antecedit, nunquam adſequi possis. *Quantò* enim posterior *axis* magis progreditur; tantò magis prior antecedit. Sic etiam ô ignavi adoleſcètes, cras illud quod præcessit amissumque est, nunquam à vobis recuperari, aut subsequenti tempore anteverti potest: & quidquid temporis otio, & ignavia perdidertis, quavis paulo ante elapsum sit nunquam revocari, nunquam restitui, & ne hora quidem quæ præterit unquam redire potest. Ast unde hoc ignaviæ malum generi mortaliu? *Quid* autè quod tam pauci ad summum bonum, verum

hominis finem tendant, & perveniant? Si verum excutias ex nullo alio fonte, quàm quòd juvenus Romana inde à teneris usque unguiculis sese corporis voluptati, & vitiorum illecebris, libidini, avaritiæ, ambitioni, & aliis animi morbis mâcipavit, & ita obnoxiam reddit, ut quòdcunq; tandem illa impellant, præceps sequatur; & nūquam postea ex hac servitute acerrimâ Philosophiæ ope liberata, sui juris rursus evadat. Imò nec illi hanc animi medicinam quærunt; nec Philosophiæ studium liberale ejusmodi servilia ingenia, & mâcipia postmodum admittit. At quãtò satius erat, illos statim ab incũte ætate Philosophiæ, & humanitatis studiis operã navare, ut vera libertas ipsis cõtingeret, & ab hac servitute longè miserrima liberarentur. Vt cùm propter multas causas, tum verò propter hoc ipsum etiam atq; etiam philosophãdum sit, unde libertatem consequerentur, & nihil timere, nihil cupere nisi vitia & virtutem, discerent. Nimirum omnes sapientes, & à cupiditatibus, ira, libidine vacui, liberi sunt, & ingenui: omnes cupidi, et adfectibus, agitati servi. Quæ aut vita humana sine hac libertate? sanè infelicissima, et miserrima. Profectò homini, qua homo est, & dici meretur, *libertate opus est*? At principio libertatis nomine non illam corporis intelligimus, sed illam solidã, & veram animi: quã hominem exornatum esse volo: non autem hãc corporis, quam vilissima etiam mancipia per manumissionem consequuntur; & quã vel unusquisque *Publius*, *Quintus*, *Cajus*, *Cneus*, *Lucius*, *Marcus* aut consimilis servus, ut manumissus emeruit, & libertate adeptus est: statim in *Uelinã*, *Tarentinã*, aut *Stellinã*

tinã urbis Romæ tribu (in qua postea censetur) *reservatã* frumentaria, & signo, quod nimirum solis civibus; & liberis datur, *far*, & frumentum publicum, *scabrosum*, putre, & corruptum accipit, & possidet. Nimirũ hæc summa libertas tibi videtur, & præter hanc tu aliam nec agnoscis, nec expetis. *Heu* homines stolidos, & ignavos, & ipsius *veri*, & boni nimium *steriles*, infæcundos, & jejunos! nimirum apud quos vix ulla virtutis, & veritatis semina, vitiorum verò, & opiniorum incredibilis fertilitas, & provetus. *Quibus* nempe una manumissio, una manus impositio, una *vertigo*, & in gyrum ductus, & circumactio (qua scilicet illos jam sui juris esse, & in quamcumq; partem velint, migrare posse significatur) ex servo nequam etiam, & vilissimo, ac improbissimo, liberum, *Quiritem*, & civem Romanum facit, etiam illos; qui natura, & animo servi sunt, & quamvis vel millies manumittantur æternum servi, & mancipia mansuri. Ecce. n. *hic Dama*, aut *Menas*, aut alius quicumq; servus, est nebulo longè vilissimus, & pessimus, & *agaso* equorũ, & aliorum agitator, non nauci, non treis, non diobolaris, non tribus absibus, imò ne duobus quidem obulis præstinandus: Quippe qui tanq̃ *vappa*, quæ neq; vinum, neq; acetum est, insipidus, insulfus, & stolidus; quin etiam *lippus* animo, & corpore cæcus; adde quod vel *intenus farragine*, ocymo, vitis, fæno (quæ jumentis suis detrahit) & in vilissimis, & nullius precii leviculis rebus, vanus, falsus, *médax*, & fraudulétus: Et tamen hic *Dama*, aut *Menas* servus pessimus, simul *dominus hunc verterit* et manumittens in gyrum circũdlexerit, et solemne illud, *Esto li-*

ber, pronunciataverit; Statim ille tempore brevissimo; quali in ictu oculi, et *turbis momento*, et articulo, è servo à domino liber et civis Romanus, et *Marcus Dama* è Dama novo prænominè patroni sui assumpto *exit*, sui que scilicet juris liber egreditur. Egregium verò hominem liberum, et civem Romanum qui antea cum servus esset, & sine capite nullis iudicis, nullis contractibus adhiberi poterat: jam circumactus, & vindictâ manumissus, & liber, poterit esse sponsor, iudex, testis, signator: Et quid ni ille jam quasi totus immutatus, sit vir gravis, honestus, & quantivis precii, qui omnia summo candore, solertia, & dexteritate transfigat. *Papa! Quis de Marci Damæ fide, & integritate jam amplius ambigat. & dubitet? Quid autem ex te audio, quisquis es? Tûne Marci Damæ fidem, & candorem in dubium vocare audes? Tûne Marco Dama pro alio spondente, & fidem suam interponente nummos credere cunctaris, & recusas? Tûne sub Marco Damâ jam tam sapientissimo, & sanctissimo iudice, de te, & causâ tuâ sententiam dicente, & pronunciante times, & palles? Tûne reformidas, & trepidas, ne tam accuratus iudex injustam sententiam dixerit, teque injustè condemnnet? Tûne ubi Marcus Dama ad testimonium dicendum vocatus fuerit, de Marci Damæ fide, & integritate vel tantillum dubitas? Imò ipse *Marcus Dama* hoc dixit, & ita est; nec Apollinis verbum magis verum est, quàm ejus. Cum etiam antè tibi, ò *Marcus*, tanquam servo signare non liceret; illud etiam juris ex merito, jam tibi contigit, Quare, ò vir sanctissime*

me

me, & integerrime, tu jam testamenta, & tabellas assigna. Quis autem hæc tam absurda non soluto risu, & effuso cachinno excipiat? Vah! *Hæcine solida, mera, & vera libertas* sit, quæ tot egregia privilegia, & immunitates secum adferat, quibus antea carebamus: *Et hanc libertatem nobis pilea*, quæ rasò capite in templo Feroniæ accipimus, & induimus, *donant, & conferunt*. O miseram, & ridiculam libertatem! cui præter inane nomen nihil prorsus rerum sublit, quâ ut vel maximè hæc jura, & privilegia consequaris, tamen alii adhuc domini collo te adstrictum, quodcumque volunt ducunt, & abducunt, quorum vilissimus servus, & miserimum mancipium æternum vives, & morieris. At nimirum illa mancipia heic mihi obstrepent, & objicient: Quid hoc monstri, ò Persi? Tûne nos liberos esse negas? *An quisquam alius liber est*, aut liber cenferi poterit quàm ille, qui sub nullius imperio, suo arbitrato vivit: *nisi cui ut voluit vitam ducere, & transigere licet*. & integrum est. Iam verò postquam manumissus, & libertate donatus, non amplius sub domini imperio vivo, *licet* mihi ita *ut volo*, & animo meo collibitum est, *vivere*. Nonne ergo absolutè *sum liber & mei juris*? Imò vel ipso Marco Iunio *Bruto*, qui regibus superbis expulsis urbi Romæ æternæ libertatis auctor, & vindex fuit, *liberior*? Rectè tu, ut dicis: tu revera *bruto*, mancipio, & jumento non es liberior? At heus tu vane, & brute argumentator, *hic Stoicus* aliquis Philosophus, qui *autem mordaci aceto*, acri sale, acumine, & prudentiâ *lotus* est, & cujus emunctæ nares, & teneræ acutæque aures non facilè crassis crassorum Sophi-

Sophi-

Sophistarum captiunculis, & ratio cinationibus sal-
luntur, ubi hæc tua tam absurda audit, respondet, et
inquit: O liberte Marce Dama, quod tuâ pace di-
cam, perperam, & *mendose colligis*, adsumis, et con-
cludis: Nam *hæc reliqua*, & majorem tuam propositi-
onem, quâ adferis, quòd qui ut vult vivit, liber est, *ac-*
cepit, atq; lubens tibi largior, et concedo. Sed illud,
quod postea huic non cohærens adjungis, et sublu-
mis: Mihi *ut volo vivere licet*, pernego; et proinde
cùm tuum illud non sit, *tolle hoc*, et si verè vis con-
cludere ex argumento tuo deme, & aufer. At nimi-
rum tu, ô Marce, minorem, & assumptionem Sylla-
gismi probare, et confirmare voles, et respondebis:
Nam *postquâ* ego jam manumissus sum, & *vindictâ*,
& lignèâ virgulâ percussus nulli amplius obnoxius,
& servitio obligatus, à *Pratore*, coram quo hoc factû
est, non alienus amplius, & domini alicujus servus,
sed *meus*, mei juris, & liber *recessi*, & abii: *cur mihi non*
liceat vivere ut volo? Et quidni mihi liceat facere, &
exsequi, *quodcumque* animus, & *voluntas* mea *iusit*?
Illud tantùm *excipio*, si quid *Majus* I Sabinus sub Ti-
berio Iuriconsulti, & legumlatoris, & interpretis
doctissimi, *rubrica*, & lex initio minio notata, inter-
dixit, prohibuit, & *nosavit*: Ne scilicet aliquid con-
tra leges committam, & in pœnam incurram. *Qua*
ergo fronte me non ita vivere, ut placet, & libitum
est, negare, & inficias ire ausus es? Heus stolidè, & in-
epte disputator, cùm per te nihil sapias, nihil intelli-
gas, & adsequaris, nisi quod in sensus, & oculos in-
currit, & de vera libertate, non ex ratione, sed opi-
nionè judicas, & nihil majus, nihil meliùs sentis, q̄
quavis

quavis bellua, & bestia: Alios sapiētiores audi, & *dis-*
ce ab illis, quid sit vera, & solida libertas. *Sed* interea
dum te meliora edoceo, & *tibi veteres avias*, & aniles,
& diliras ineptias, inveteratas fabulas, opinionones,
quas tanto tempore animo tuo concepisti, iovisti, et
aluvisti, tibi *de pulmone*, et imis præcordiis *revello*, ex-
imò & extraho, nihil indignis, & mihi irascaris: & *ira*
de cōtracto tuo, et corrugato *naso*, & *sanna* in na-
ribus per iram crispata, et *rugosa decidat*, et remove-
atur. Non enim facilè animus verum prævidet, ubi
adfectus odium præsertim, et ira dominantur. Nec
autem me fugit, quàm veteres, et diu animo con-
ceptas opinionones nobis eximi graviter, et iniquo a-
nimo feramus. Nihil inficias eo, quòd vindicta Præ-
toris, et manumissione libertatem aliquam conse-
quimini; Sed illam, non Animi, sed corporis; non il-
lam internam, veram, et solidam, sed externam tan-
tùm, et civilem; Quæ ut tu ipse paullò antè adserui-
sti, est potestas vivendi, ut velis, dummodo nihil cō-
tra leges committas. Verùm illam veram, solidam, et
æternam animi libertatem, non vindicta Prætoris,
aut manumissione, sed studio demum virtutis, et Sa-
pientiæ consequeris. Etenim solus sapiens, et virtute
præditus verè liber est, cujus proprium vita rectè u-
ti, officiis optimè fungi, nullis adfectibus agitari;
Non moveri, concuti, et perturbari: Et cui hoc de-
mum in tota vita animo fixum, ne latum unguem, i-
mò ne latum quidem pilum à virtute, et veritate dis-
cedere. Et harum rerum scientiam complectitur sa-
pientiæ studium, et Philosophia. Iam autem contrà
quisquis animo malus, et stultus, ille si vel centies
manus

manumittatur, vel mille Prætoribus liber pronuncietur: in honoris, splendoris, et dignitatis cacumine fit constitutus: possideat quantum Cræsus, et Crassus, nūquam s u u s, sui juris, & verè liber futurus est. Jam autem hanc veram animi de qua loquor libertatem Prætor dum servos liberos pronunciat, hisce malis, et improbis mancipiis conferre non potuit. Etenim *nō Prætoris munus*, et officium erat *stultis* sapientiā, malis virtutē, ignavis et libidinosis fortitudinē et tēperantiā conferre, eisq; *tenuia*, et subtilia sapientiæ, & virtutis præcepta, exacta et accurata *rerum* gendarum *officia*, et Cathortomata in tota vita humana secundum virtutem agenda *dare*, et præscribere: et improbis, et ignavis metum demere, cupidinem adimere, libidinem refrenare, ad virtutem, et Sapientiam, et veram aded libertatem viam sternere; *atque* ita demum iis *usum*, artem, et scientiam *rapida*. & velocis *vita* humaneritē secundum virtutem, et rationem instituendæ *permittere*, et exhibere. Ne fortè existimes te vera, et solida libertate à Prætoře donatum. Quo enim modo. et ratione ille in aliud ille contulerit, quo ipse caret? Et qui rationem rectè vivendi aliis illè præscriperit, quam ipse nunquam didicit? Deinde, ut vel maxime in Prætoře hæc inveniantur; quā ratione illa stultis, et illis percipiendis planè ineptis communicabit? Sanè longè facilius et *citius Sambucam*, aut aliud quodvis Musicum instrumentum, *alio* cuidam, et vasto militum servo, et *Caloni* (qui musicam tamen nunquam didicit) *aperis*, et accommodaveris, et vel asinum lyrae, et fidiibus canendis aptum reddideris, quàm ut prætor qui

Philoso-

Philosophiā non didicit, hominem malum, et stultum verā Virtute, et Sapientiā imbuat; et illum qui vitiiis, et flagitiis tanto tempore abjectissimè interviit in veram libertatem vindicet, et Suum, sui que juris liberū efficiat. Nam ipsa *ratio contra stat*, et magnoperè reclamitat; *et* unicuique hominum *in secretam aurem* tacitè *gannit*, et infusurrat; *ne illud facere liceat*; et ne quis majora viribus audeat; ne aliena à vitā et moribus suis tentet, et ne quis illud denique adgrediatur, *quod* nunquam didicit, et quod si quis agere tentet, *agendo vitabit*, et malè, ac vitiosè, contra quàm fieri æquum erat, persequetur. Atque aded *publica hominum lex* non scripta, sed nobiscum nata, ipsa ratio, ipsa *natura hoc fas*, hanc justitiam & æquitatem *custinet*, & unicuique dicitat; ut quam quisq; artem didicit; illam demum exerceat; & ut contra *inscitia*, & ignorantia rudis, *debilis*, & ignava magnos, sublimes, & *vetitos* aded *actus teneas*, & inhibeat, & ab arduis negotiis quibus nec par est, nec unquam par erit, abstinere. Age enim si tu artem Medicam exerces, quā non didicisti, & *Helleborum*, & alia medicamenta ægrotantibus *diluis* & *misces*, qui tamen naturam, & qualitatem simplicium ignoras; & Pharmacorum *examen*, quæ omnia sua natura venenata sunt, *certo* unciarum *puncto*, ne sui copia mortifera sint; *compescere*, coercere, & temperare *ne scis* sis, et ignores: *Hoc* verò non solum absurdum, verum etiam periculosum est; & *natura*, ratioque *medendi* hoc ipsum *vetat*, & prohibet. Porò *si rusticus*, & *arator peronatus*, & altis calceis indutus, qui nunquam mare intravit, nunquam stellas inspexit,

fed

sed *Luciferi*, Cynosuræ, stellæ polaris, et omnium adeo cœlestium siderum *rudis*, & ignarus *navim sibi* regendam, & gubernandam, committi *poscat*, & postulet; ibi *Melicerta*, Palæmon, vel Portumnus Deus marinus non injuria præ indignatione illa rustici impudentia commotus *exclamet*, omnem *frontem*; & pudorem *de rebus* humanis *perisse*, & verecundiam, & pudorem mundo jam exulare. Quemadmodum autem neque Calon militis fervus Musices *rudis*, unquam fidibus rectè cantabit; ut artis Medicæ ignarus ægrotos nunquam rectè curabit; ut rei nauticæ rudis nunquâ navim in vasto mari ritè diriget, & gubernabit: Sic qui per sapientiæ, virtutis, & humanitatis studia harmoniam vitæ humanæ, quomodo ratio, & adfectus inter se concorditer consonare debeant, non didicit, morbos animi curare, & vitare nescit, et in vasto hoc, impetuoso, et multis scopulis, et procellis infamibus horribili vitæ humanæ pelago rectû cursum tenere, et ad optimû portum illum dirigere, et adpellere ignorat; et denique vitæ humanæ scientiâ adeptus non est: ille nec ipse officia vitæ humanæ rectè obire poterit; nec illa aliis præscribere; nunquâ ipse vrè liber erit, et ut volet vivet: nunquâ etiam aliû verâ libertate donabit, et sui juris efficiet. At cõtrâ si tu sapientiæ adminiculo rectâ vivendi vitam ingressus es: Si *ars* vitæ humanæ regendæ Philosophia *tibi recto talo*, certo, et excelso gradu, ut virum gravem, et cordatum decet in rectâ virtutis, et honestatis viâ incedere, et vitam ab omni crimine, et turpitudine alienam *vivere dedis*, ac concessis: Porro si beneficio Sapientiæ oculus, et circumspectus es,

et accurato, ac limato judicio eò pervenisti, ut quid *veri*, & falli *speciem dignoscere calleas*, & quid honestû, & turpe adeo exactè scias discernere, ne vitia quæ sepe virtutis formâ induunt tibi externâ aliquâ specie imponere possint: Qui vitia virtutis specie fallentia singulari solertiâ scias discernere; non secus ac nummularii pecunias, & nummos tinnitu explorant, & pulsu dignoscunt, *nequa* nummus *auri subarato*, qui exterius aureus sit, intus æs habeat, *mendosum tinniat*, sed solidum sonet, & purum putumq; aurum tinnitu indicet: sic tu quid verum, aut fictum, quid solidum aut vanum, quid genuinum aut adulterinum sit, accurato judicio possis internoscere; adeoque si *quæcunque* in vitâ *sequenda*, & appetenda, *et quæ vicissim fugienda forent* diligenti curâ, & observatione pernoscere studuisti; & illa bonâ, honesta, & utilia *præsertim* cretâ, colore, & lapillo niveo, candido, & benigno: *mox* hac mala, noxia, & atra nigro colore, & *carbone adnotasti*: Ceterum si non solum scis, quid rectum sit, verum etiam facis; nec solum accuratam boni, & mali cognitionem habeas; verum etiam virtutem, & honestatem sequaris, vitia, & turpitudinem fugias; Et virtutis, & sapientiæ invictò studio illam Felicitatem consecutus es, ut tuâ sorte letus, & contentus vivas; non avarorum more inexplebilis non de acquisitis, sed de acquirendis cogitas, semper quæ plura exoptas; sed *voti modicus es*, & moderata tantum exoptas; adfectus ratione comprimis, cupiditates frenas, semper in vita, & actionibus tuis mediocritatè spectas; His adde, ut sis *lare presso*, re domestica non nimis magnifica, & luxuriosa, sed frugali, ita tamen

ut à fordibus alienus sis; nec *amicis* austerus, & morosus, sed *dulcis* sis, & benignus: Si etiam quid quoque loco, tempore, personâ dignum sit nôsti, ubi nimirum frugalitate, & parsimoniâ, ubi contrâ magnificentiâ, et liberalitate utendum, ut *jam nunc* horrea tua, & *granaria* quibus frumenta condis *adstringas*, nec nimis patefacias, & evacues; *jam nunc* eadem *laxas* rursus, et liberaliùs inde egentibus aliquid *elargiaris*, & tempori frugalitate, & liberalitate uti scias: Si denique nullum perditâ avaritiâ, & fordium signum in te appareat; ita ut in trivio *nummum in luto* à pueris, ut sordidos agnoscant, & derideant *fixum*, et projectum excello gradu *possis* præterire, & *transcendere*, te non demittas, & ut eum tollas fordidè incurves: *Nec* adeò *glorio* es pecuniâ inexplibilis, & gulosus, ita ut non secus ac helluones ubi edulium aliquanto suavius viderunt, nimio adpetitu *salivam*, quasi id jam spe devorent deglutiunt: sic si tibi spes lucri oblata sit, non dubites ob *ingens* desiderium spumanti ore *salivam* lucri cupidam, & *Mercurialem* appetitu lucri defluentem *sorbere*, & deglutire: nec immensa, & incredibili opum cupiditate detineris: *Hac*, inquam, & confimilia quæ enumeravi omnia cum tibi verè vindicare poteris; *cum* verè de te *dixeris*, & pronunciaveris; *Hæc mea bona sunt*; hæc ego animo *teneo*, & possideo: tunc demum univèrso meo calculo, & suffragio *esto* verè *liber*, verè *sapiens*, verè *felix*, & *beatus*, nihil impedio, nihil contradico; idq; non solum corâ omnib. *Prætoribus*, ut corporis servitute solutus sis: verum etiâ ipso *love* optimo maximo, *dextro*, propitio, & favente animo

verè

verè liber solutus, tuus. *Sin* verò harum virtutum, quæ demum hominem verè liberum absolvunt, nihil omnino habes; sed *cum in paulo* antè quàm manumittereris, *nostra farina*. ejusdè gustus, & saporis, pravitatis, & malitiæ, pulveris, & notæ, gregis, & conditionis nobiscum fueris; jam libertate corporis donatus, animo nihilo melior redditus es, antiquum *Al-*huc obtines, et iisdem gravissimis dominis, adfectibus, & vitiis servitutè servis, & quamvis colorè *mutas*, *vetorem* tamen servitutis, & pravitatis *pelliculâ retines*; & licet *fronte*, & externo habitu politus, gravis, & honestus videare, tamen *sub pectore* *vapido* in corde & animo caliginoso, & corrupto, veterum vitiorum pleno, & fraudibus redolente *astutam vulpem*, dolos, versutias, fraudes, mendacia *servas*, & retines: tum verò ego, quod ante de te adfirmavi rursus *nego*; & *quæ supra* tibi *dederam*, veram sapientiam & libertatem, illa jam rursus aufero, & à te *reposco*, & *repeo*; & cum antè tibi servitutis vincula relaxârim, jam *funem* *reduco*, & habenas licentiæ, & libertatis rursus inhiæo, & contraho: & ut vel maximè corpore liber à prætorè pronunciatu sis, ego te animo omnium mancipiorum, & servorum turpissimum, & miserrimum pronuncio. Cum enim stultus pariter, & malus sis, nihil secundum rationem agas, sed cupiditatibus frenata effusè *laxas*, *nihil ratio*, & sapientia tibi ritè gerere, & administrare *concessit*, nihil non perversè agis, ubique impingis; imò ne vel minimum quidem corporis membrum movere potes, quin in culpam statim, & reprehensionem incurras: Adeoque vel minimum *digitum exseres*, & operi, re-

K 2

busque gerendis applica, statim alucinariis, & peccas. *Et quid tam parvum, tam facile, & primum est, quam digitum exlerere: Et hoc tamen tu rectè non potes. Sed quamvis hoc absurdum tibi videatur; tamen tu illud neq; ab hominib. cõsequeris, sed à Diis nullo thure, nullis victimis, & sacrificiis impetrabis, & litabis, ut malus, & servus cum sis. aliquid ritè, & dextrè geras; & ut in stultis vel brevis aliqua, & exigua semiticia, & dimidiata particula sapientie, rebus, & iusti habeat, & reliqua sit. Hac enim, bonitatem cum malitia, sapientiam cum stultitia, libertatem cum servili & scelerato homine, inter se miscere, & confundere nefas, & contra naturam impossibile est. Non enim miscentur contraria: & ne in facillimis quidem, & minimis humanis artibus. Sanè cum Musicam non didiceris, haud promptè fidibus canes; & cum cetera, ac in rebus reliquis omnibus fossor sis, catenis & cõpedibus vinctus, tantum abest ut Pantomimum, & saltatorem artificiosè choreas agitantem imiteris, ut ne quidem ad tres tantum numeros, tonos & Rhythmos saltationis *Bathylli* Pantomimi *Sayri*, & saltatoris mollis, & lascivi *moveare*, & saltet: nec rursus cum stultus, & servus sis, vel in minimis secundum rationem vivere, & vel unam quidem laudabilem actionem præstare poteris. At tu tamen, hisce meis vel violentissimis argumentis, & rationibus nihil edomitus, & victus, antiquam tuam, & eandem cantilenam mihi occinis, & obgannis: Quidquid & jam mihi dicas, & obiectes, o Persi. ego tamen liber sum; quia sum mei juris, & sub nullis in perio, & dominio vivo. Hecus hominum stolidissime, quã*

fronte

fronte illud pronunciare non erubescis? Hecus serve miserime, & tot dominis, tot rebus subdite, & obnoxie, unde hoc datum tibi sumis, & à quo concessum hoc tibi arrogas, quòd te liberum, tuique juris esse adfirmare nihil verearis? Quid verò? An tu alium dominum ignoras, alium herum, & imperatorem non agnoscis, nisi externum illum corporis, quem vindicta Prætoris, dum caput virgâ percuteris, in gyrum duceris, rasò capite calvus pileo donaris, & liber pronunciaris, relaxat, & mitiorem reddit, & à cuius dominio, & imperio te manumissio liberat, & absolvit? Homuncio stolidissime! Toto cœlo erras, & longissimè opinione falleris. Sanè si tu manumissus, & vindictâ Prætoris, vel aliàs liber es; & dominus aliquis imperiosâ, & terribili voce increpuit: Hecus puer, iocys, & strigiles hæc, quibus inter lavandû radar, ad *Crispini balnea* defer, & porta. Cessas adhuc nugator, & mæltigia? mox ego hæc taurea testudineum illum tibi gradibo gradum. Eiusmodi nimirum dominorum minæ, & acre miserumque servitium, te quidem, quippe qui liber jam sis, nihil impellit, nihil angit, & exterrit amplius; nec quidquam extrinsecus ab exteriori aliquo corporis domino verberum, & flagellorum in te intrat, quod nervos, & corporis tui membra agitet, excruciet, & dolore adficiat. Sed heus tu: ideone liber? Nonne agnoscis te adfectuû, vitiorum, opinionum mancipium esse longè turpissimum? Annon agnoscis te tot animi morbis, & dominis miserimam servitutem servire? Nimirum tu desperatorum ægrotorum more in gravi morbo morbum, & dolorem non sentis? Sanitatis, & salutis

spes exigua in te & propè nulla. Nà *si intus in pectore* corde et *jecore* tuo tot vitiiis, et animi morbis adfecto, & *agro*, tibi sævisissimi, & violentis. *domini nascuntur*; qui sæpe inter se cōtrarii animum tuum divorsetrahunt, te alternis vicibus quòcunq; volūt agitant, rotant, versant, & miserrimum habent: queso, *quid* tu mitiorem servitutem animi experiris, quàm quilibet mali externi domini servus? & quomodo *tu impunitior*, & minori servitutis molestia. & pœna *axis*, & evadis, atq; *hic* puer, & servus, *quem* flagellum. *scutica*, & *herilis menus ad frigiles*, ad balnea deferendas, & alia imperia herilia exsequenda, *adegit*, & impulit? Sin autem ex me quæras, quàm illi sævisissimi & imperiosissimi domini sint, paucis animum advertite, paucis operam mihi da, docebo te illos, & demōstrabo. Ecce en. *manè* cum *piger* aliàs, & ignavus *stertis*, & securè & supinè ronchos ducis; A V A R I T I A & inexplēbilis opes possidendi cupiditas, te excitat, è lecto excurrit, & compellans *inquit*: Heu *ignave*, et *piger*, tūne adhuc stertis? *Eja surge. surge.* in quā; quid moraris? Quòd si aut tu moras necas, aut te surrecturum *neges*, & caput rursum deponas; illa acrius tibi *instat*; & *surge, inquit*; Certè surgendum tibi erit. Si tu dicas: *No queo*: illa semper illud *Surge* tibi ingeminabit. Sin verò interroges: *En quid agam*, quid rerum geram ubi surrexero? Illa cum stomacho indignabunda: *Rogitas* adhuc? quasi verò ubique non sit quod agas. *En* tibi habe: Mercaturam exerce, negotiare, aliàs regiones mercium gratiā perlustra, et *ponto*, ac mari è longinquis regionibus salamenta, pisces, *saperdani*, unguenta, *Castoreum*, lina

deterio-

deteriora, *stuppas, hebenū*, Guajacum; & alia preciosa ligna, aromata, *thus*, & vina *Coa lubrica* & alvo laxando idonea, & alia unde maxima lucra, et emolumenta consequaris, huc Romam *advehe*: alios mercatores præoccupas, & tu omnium *primus recens*, et optimum *piper* è pelle, & membrana *Cameli* aridā, et *fitione tolle*, et minimo precio eme, quod majori proficèa distrahere possis: negotiare, *verte aliquid*, et speciem pro specie commuta. Quòd si mercatura, & negotiationes minus procedūt, aliis artibus rem facere, & opes accumulare, et ad beatitudinem pervenire studeas: causas age, rabulam exerce, *jurā*, et pejerando opes adauge; et modò divitias adquiras, quibus illud rationibus fiat nihil pensi habeas, nihil tua interfit. Quòd si tu respondeas: *Sed Iuppiter* qui, quæ nos mortales gerimus audit, videt, & iudicat, me falsò jurantem, et perjuris aliisque malis artibus opes accumulantem *audiet*, videbit, & puniet. Illa rursus non sine stomacho, et amaro sarcasmo: *Eheu, Varo*, homo barde, blenne, & stolidè! Nam quæ isthæctibi incessit nova pietas, et sanctimonia? Tunc (malum!) Deos curas, et respicis? Nimirum nunquam rem facies, nisi homines inescare, et Deorum fabulas contemnere didiceris. Quòd si iustitiam, et æquitatem in homines, et pietatem in Deos colere, et *cum Iove* iustè, et sanctè *vivere tēdas*, & proponas; tum vix sal tibi quem delingas suppetet, et vitam inopem miserè *perages*, et contentus eris ipsum etiam *salinum regustatum*, et exhaustum propter falsi inopiam, ut micas saltem, et reliquias quasdam ejus conchæ tenaciter adhærentes revellas, *digitis* panè *terebrare*, et

atro pane, & aquâ vivere. Nec aliquid caussè est, quin tu homo extreme miser, et mendicus sis. Atque ita quidem una domina tua Avaritia tibi tanto imperio insultat, te è lecto excutit, ad quasvis negotiationes, quævis scelera præcipitem agit, et impellit. Et nimirum tu, ô M. Dama, serve infelicissime ejus imperio coactus longinquas, et periculosas negotiationes suscipis; iamque ad iter, et navigationem succinctus, et paratus, *pueris*, et servis tuis *pellem*, vidulum, *scoræum*, Endromydem, et alia vestimenta ad aëris intemporiem in mari arcendam, reti ulam panis, lagenas vini, *ænophorum*, & alia ad navigationem necessaria *aptas*, & imponis, & *oculus ad navim* festinas, & properas. Iamque omnia parata sunt, & *nihil* omnino *obstat*, quin *vassâ trabe*, & ingenti navi *Agæam* mare *rapias*, & velociter petas, & longinquam ad extremos Indos per tot maria, saxa, ignes navigationem instituas; *Nisi* altera Domina pari violentiâ, & tyrannide tibi insultans *fellens* nimirum, & blanda *LXXVRIA* cõtra avaritiæ suasiones, & persuasiones ingeniosa, & acuta, te *antè* suis blanditiarû illecebris *seductû*, & captû à priori proposito, & sententiâ, quâ avaritiæ tuâ operâ addixisti deturbet, ac *dimoveat*, & acriter objurgatû compellet: nam *quò* tu *insane* tantâ animi cõcitatione *ruis*? *quò* demês tâto impetu ferris, & impelleris? *Quid* aut *vis* tibi, aut quid quæris? Satisne adhuc sanus es? an misera illa & scelerata avaritia, cui cû maximo tuo discrimine, damno, & dedecore inservis, te de mente, & sanitate rationis deturbavit? Sanè te, ô M. Dama, qui tanto fervore, et impetu navigare paras, insania prorsus invasit, & *sub*

calido,

calido, & incenso *pectore mascula* illa, & vâida, atra, & adustâ *bilis*, quâ percitus infans, & furis, ita *intumuit*, in tantum fervorem, & magnitudinem excrevit, quam integra *cicuta urina* suo frigore *non extinxerit*: & quam cerebri insaniam, & fervorem integra Hellebori libra vix purgaverit, & sanaverit. *Tûne* vir talis, & tantus, in talibus dignitatibus, tantis opibus constitutus *mare transilias*? Nam in quanta pericula, quanta incommoda te temerariè conjicies? *Tibi* ne quiante hâc in splêdidissimis thoris, mollissimis pulvinaribus cubâs, optima, & delicatissima quæq; ferula comedisti, generosissima vina bibisti; *torrà* jam *cânabe*, & funibus nauticis, quibus pro thoro, & pulvinaribus *fulto*, & imposto, *in trâstro* navium tabulatis, aut scamnis *cœna sit* sordida, & famelica inter nauâs sordidos, & maleolentes, & vinum *Veis* non procul ab urbe natum vile, & insipidum *Vejentanum rubellum*, insuper *pice vapida*, & maleolenti, quâ vasa, & omnia in navibus oblinuntur *lasum*, & corruptum *obba sefisis*, & poculum latioris fundi evaporet, & *exhalet*? Nam *quid* tu ulterius *peris*, & desideras? Nõne fatius esse existimas quincunciali & mediocri infra semissem fenore pecuniam occupare, quàm studio majoris quæstus magnos labores, & periculosam navigationem subire, *ut* nimirum facultates, & *nummi* tui, quos *hic* ante hac *quincunce modesto*, & incremento, ac usurâ dirpidium capitalis summæ prope exæquante moderato, & honesto *nutrieras*, & auxeras, *sudore*, molestiâ, & periculosa navigatione *avidos denunces*, nimum lucrum, & immoderatum fœnus, quod ferè capitalem summam totam ex-

æquet, *peragant*, & adquirant & se turpi fœnore con-
 duplicent? Vt fatius ducas citò, turpiter & laboriosè,
 nec sine periculo, quàm moderatè, honestè, & tutò
 paullatim ditescere. Quin tu potiùs partis utere, &
 modicis tuis opibus contentus curam majorum re-
 linque, & *Genio* voluptatiq̃ue, dum ætas est, *indulge*:
Carpamus autem in hac fluxà, & veloci humanà vità,
 dum licet, *dulcia*, & deliciis hujus mundi in tempore
 perfruamur. Sanè quòd tu verè *vivis*, quòd vita tua
 & licitis voluptatibus, & delitiis dū fata sinunt, ute-
 ris, illud omne nostrum est, nostri beneficii, & mune-
 ris, hoc mihi omne debes, & acceptū referas oportet,
 Nimirum ego tibi vitæ, ac salutis auctor sum, & sine
 me foret, vitam mortuam, miseram, & calamitosam
 viveres: & lubricæ, præcipitiq̃; vitæ rationes am-
 plexus fato abreptus esses. At demum impulsu sua-
 suq̃ue meo Genio indulges, & verè vivis, dum vita
 est; nam paullò post *cinis*, pulvis, umbra, *manes*, & *fa-
 bula* fies, & evades, & de te tantum sermo supererit,
 nec multò post ulla tui memoria apud mortales su-
 perfutura est. Quare dum fata sinunt *vivis*, & volu-
 pti indulges, *letis*, & mortis, quæ vitæ, & omnium
 voluptatum finem tibi adferet, semper *memor*. Nam
 vita nostra more aque, more umbre rapidissimè flu-
 it, & præterit, & *hora* tempusq̃ue quod loquendo
 transigimus, tanquam momētum rapidissimè *fugit*
 & perit, & nunquam reparari potest: atque *hoc* ad eò
 quod loquor, hæc brevis temporis portiuncula, quam
 loquendo transigo, *inde* est, & præterit, & nunquam
 ad præsens tempus reduci potest. Atque ita quidem
 avaritia te à luxurià revocat, & abducit. *En* homo mi-
 ser,

ser, & infelix; En mancipium vitiorum, & serve libi-
 dinum turpissime, *quid* tu heic agis? Nam ex uno la-
 tere avaritia te adgreditur, ex altero luxuria, ambæ
 satis violentæ, & imperiosæ dominæ. Illa te domo ad
 labores, & maris periculum subeūdum expellit; Hæc
 domi te detinet, & à labore ad delitias, & voluptatem
 revocat. Et sic sub diversis, imò contrariis vitiis, do-
 minis & tyrannis miserrimam servitutem *servis*; &
duplici hamo, diversis avaritiæ, & luxuriæ blanditiis, &
 illecebris, tâquam hamo piscis *in diversum scinderis*,
 & in contrarias partes, modò in hanc, modò in illam
 raperis, & divorsè traheris. *Hunc* cine avaritiæ, *an hunc*
 luxuriæ hamum, escam, & illecebras *sequeris*? Nimi-
 rum oportet ut *alternus*, & ambiguus modò avaritiæ,
 modò luxuriæ partes sequaris; ut alternis vicibus
 modò hujus, modò illius dominium *subeas*; ut *anci-
 piti*, & ambiguo *obsequio*, & servitio *dominos* tuos a-
 varitiam, & luxuriã *alternis* vicibus circumeas & fa-
 mulando dubius, & incertus *oberres*. Nec est quod te
 ab hac tyrannide, à tam gravi servitute liberum ali-
 quando futurum speres; nec *cum semel* unius domi-
 ni servitii jugum excutere tentes, semel domino tuo
obstiteris, & multis blanditiis perfrasionum *instanti*
imperio parere, & morem gerere *negaveris*; te jam libe-
 rum. & à servitute solum existimes, & dicas: *Iam*
 sum liber: jam omne servitutis jugum excussi, om-
 nia servitutis *vincula rupi*, & incidi. *Nā* quisquis his-
 ce animi morbis, ac dominis sese semel mæcipaverit,
 illi forsitan aliquando servitii remissio; nunquam
 manumissio. Nam non secus ac *canis* ad funem vel
 vinculum alligata, ubi diu multumque modò tra-
 hen de

hendo, modò mordédo cum fune, & vinculis luctata, & tandem eluctata est; *nodum* vinculi *abripit*, abrupit & aufugit; *Et tamén* illa ipsa canis *cum fugit*, nò tamén omnino dominum suum effugit; nam *longa* vinculi, & *catena pars illi a collo* adhuc *erabitur*, quæ rursus facillè comprehendi, & ad antiquum dominum reduci potest: Sic natura semper ad mores damnatos *recurrit*, semper ad dominos relictos *remeat*, & revertitur: Imò dum vel maximè fugiunt, se non effugiunt, semper præteritorum vitiorum semina secum gerunt, quæ elapsum ad pristinos dominos reducant, atq; rursus servitutis vincula injiciant. Sanè cupiditates violentæ dominæ haud facillè servitium alicui in solidum remittunt: Et quibus qui semel obtemperare recusat; non ille statim solutus, ac liber. Cujus rei illustre nobis exemplum præbent adolescentes juniores; qui ubi liberius aliquanto ad amicas commearunt, cum iis caput collimarunt, & familiarius quam par est vixerunt: haud illi facillè ex meretriciis blanditiis, & illecebris emergunt; haud illi promptè ex illarum vinculis liberantur, & ad libertatem, & frugem revertuntur. Nam *Chærestatus* adolescens, ut est in Comœdiâ apud Menandrum in Eunuchò, cum servo suo Davo, de amicâ Chryside, cum quâ longo tempore consueverat relinquendâ consilium inire, & cogitandum deliberat; ubi dum de mutandâ vitâ per flagitium actâ, cujus eum poenitet, sollicitè cogitat, caput scabens, & vivum *crudum* quæ *unguem* inter meditando *abrodens* in hæc verba ait, & servum Davum compellat: O *Dave* ju-beo, & impero, ut hæc quæ dicturus sum *credas*, & certè

tè futura statuas; Ego *ciò*, atque adèd jam demum *præteritos dolores*, arumnas, & molestias quas ex meretricio amore, & consuetudine percepi, & exantlavi, aliquando *finire*, & Chryside, quæ me sibi obnoxium, & miserum habet, valedicere *meditor*, & feridò apud animum constitui. *An* verò ego, ex tantâ familiâ tam honestâ oriundus solus luxuriosus, & intemperans, amicis, & *cognatis* meis *scicis* frugi & sobriis, viris gravibus, frugalibus, ac prudentibus tanquam probrum & *dedecus obstem*, & adversus sim: Et meis vita per flagitium acta agnominiæ notam, & maculam aspergere semper pergam? *An* totam meam *rem, patriam*, & universâ patrimonii bona scorto alendo, & nefandâ libidine, famâ minus bonâ, & *rumore* malo, & *sinistro*, ad infamiam, ac *obscenorum* meretricis *limen* dilapidem, *frangam* & perdam, *dum ebrius* & vino unguentoq; macidus *ante fores Chrysidis* meretricis floribus à me exornatas, & vino, ac unguento à me perfusas, & *udas* nocturno tempore *cum extinctâ face* ne à transeuntibus agnoscar *canto*, & fidibus ludo, & rem, vitam, famam flagitiosè perdo. Hic iam servus Davus respondens introducitur: *Euge* belle, & præclare *puer Chærestate*, vir es, nunc te laudo; nunc tibi gratulor, quòd tandem ab illâ juvenum peste, & pernicie abitu moliaris. Tandem *sapiam*, & quid te dignum sit, & deccat accuratius considerare incipias. *Quare* jam Castori, ac Polluci, & reliquis *Dijs depellenibus*, & averruncis, quite à tali, & tanto malo liberant, qui perniciem animi, & corporis, vitæ & famæ meretricè tandem à te avertunt, & averruncant, gratum te exhibe, & *agnam* in sacrifici-

um macta, & percussa. Quid autem Chærestatus ad hæc? Ille verò amans, & amens, qui amoris stimulos nondum penitus animo eiecit, amoris impatientiâ cui frustra reluctabatur, victus labascere, & manum rursus dare incipit; & respondet: *Sed heus tu, Davus, fencésne*, quòd Chrysis, ubi à me derelicta fuerit *plorabit*, & miserè se afflictabit? Cui rursus Davus: *O puer*, stulte, & impotens! Itâne verò tu rem non seriò agis, nec firmus in proposito tuo perstas, sed *nugaris*? Nimirum tu ultrò dominæ tuæ Chrysidis supplex accedes; & ab ipsâ *rubri soleâ* muliebri calceamento vapulabis, punieris, & *objurgaberis*; nimirum quæ petulans, & superba de te triumphum ducet, & sandalio tibi nates pulsabit. Quamvis enim *nunc es ferus*, indomitus & *volens*, & magna animi alacritate meretricem te relicturum polliceris; quæso *ne* tantâ concitatione moveri, & *trepidare*, & indomitæ feræ instar, tectibus implicite, sævire, & ut se expediat *arcos casses*, pedicas, & laqueos *rodere*, & rumpere *velis*. At quam animi magnitudinem illa vel unâ falsa lacrumula, quam oculos terendo per vim vix miserè expresserit, excutiet, & restinguet. Nam *si* illa vel levissima ancilla missa te ad se *vocat*: tu *haud mora* solemne illud, & usitatum *dicas*: *Quidnam igitur faciam?* non eam, & illam *accedam*? id quæ *ne nunc* quidem *cùm* ab illâ tam amicè *accerfar* & illa *ultrò* mihi *supplicet*? Næ ego faxeus, & truncus sim, ni amantem tantopere redamem; & perpetiar meum corculum, vitam, & animulam mei amore, & desiderio in luctu, & squallore esse. O miseram, & deplorandam servitutem! E qua ubi semel te expedieris, illam ultrò re-

petis;

petis; & tua miseria delectaris. Anne ille liber est cui mulier imperat, cui meretrix leges imponit, cui turpissimum scortum quidquid lubet, præscribit, jubet, vetat? Anne ille liber, qui imperanti meretriculæ nihil denegare potest, nihil recusare audet? Si poscit, dandum est; Si vocat, veniendum est; si ejicit, abeundum est; si minatur, extimescendum est. Ego verò te non modò servum, sed omnium servorum miserrimum appellandum censeo, quàm diu quidè ita animatus fueris, & ultrò ad servitutem tuam reverteris. Sed dum demum te tuum, tui juris, & liberum pronuntiabo, *si illinc* ex domo meretricia, ubi servitutem turpissimam pariter, & miserrimam servis, *totus & integer* quantus quantus, ne, dum corpore exis, animo remaneas, *exieris*, ei in totum, & solidum valedixeris, nunquam eam repetas, nunquam ad eam revertaris. Quòd si illud feceris, tunc te *nunc* laudo, *nunc* magnifacio, & virum prædico: *Hic* demum est suus; *hic* est sui juris; *hic est* ille, quem *querimus*, animo liber, & nullius amplius imperio subjectus: *non* autem ille qui manumittitur, qui corpore solutus pronuntiatur, quem *ineptus*, & vanus *lietor* coram prætore *in festuca* & virga, qua ejus caput tangit, liberum *jaetat*, & sui juris esse & Romanum civem adfirmat. Quis enim hunc liberum dixerit, qui amanti munera mittit, intempesta nocte amicam accedit, illam orat, illi supplicat, ab illa se vapulare patitur? Et quænam, Proh Deum, atque hominum fidem! servitus tandem est, si hæc non est? Quid verò alia nunc memorem servitii genera? Anne ille *suus* habet, & solutus, ac liber est, quem non solus

folùm avaritia excruciat, luxuria inquietat, libido follicitat; sed crudelis etiam domina illi: honorum contetio, illa *cretata*, ac cãdidata *ambitio*, illa inquieta, & follicita gloriarum fitis *hiantem*, & avidum, & ad fummos honorum gradus, & magistratus anxie adspirantem, & anhelãtem, suo *palpo*, suis blanditiis, & illecebris quòcunq;e vult *ducit*, & abducit? Quãm autem dura hæc, & imperiosa domina! quæ te dies, & noctes infomnem detinet, imò, vix respirare permittit, dum adidudè tibi imperat, & in aurem infufurrat: Heus tu *vigila*, & vulgi favorem, & suffragia, congiariis, viscerationibus, largitionibus capta, & in ludis Deæ Floræ, quæ floribus præest, & leguminibus colitur, *populo rixanti*, & in legendis leguminibus jurganti, & contendenti. *cicer*, fabam, lupinos, *large* & copiosè effunde, & *ingere*, ut pauperes decrepiti, & *aprici senes*, qui cùm unde focum calfaciant non habent, in solatione utuntur, *nostra festa Floralia meminisse*, nostram liberalitatem, & munificentiam collaudere *possint*. Quid enim *palcrius*, quàm tantam populo placere, & facta tua præclara multo pòst tempore vel à decrepitis senis magnifleri? Quid amplius, quàm amplissimos in Repub. honores cõsequi? Quid præclarius, quàm prætorem, & consulem esse, et ad gubernacula Reip. asidere? Et sic ambitio quoque te veriat, & assidudè agitat, et quòcunq;e vult impellit. Sanè cui quicunq;e obnoxius est, illum non modò servum, sed nequissimum, & infelicissimum servum, quacunq;e etiam oriundus sit familiã dicendum, & habendum cenfeo. At quid de

SUPERSTITIÖNE dicam novã dominã,

dominã, quæ aliis gravi molestiã, & tyrannide nihil cedit: quæ in unum tuum vano timore follicitum, pavidum, & meticulosum habet, quæ te trepidũ miserè perterritat, & nunquam quiescere, intet dum vix respirare permittit. Quæ enim illa tua fracti, abjecti, quæ animi timida servitus, & misera obedientia, quæ te civem Romanum neglecto Iove Capitolino, Marte Quirino, Vestã, Hercule, & reliquis Diis, Iudæorum Sabbata, Mosaicis Cerimonias, aut Ifidos Aegyptiæ cultum, aut alias religiones exoticas, & transmarinas anxie colere impellit? Nam cùm Romæ *Herodis* Alcolonitæ, quem Pompeius sacerdotio Iudæorum præfecit, regis festi *dies advenere*, & Paschá celebrandum est, & pridie, *lucerna in fenestra* lampadis oleo imbutã & *perunctã disposita*, *violas*, & coronas è floribus *portantes*, jam incensæ inter ardentum *pinguem nebulam*, & fumum *evomere*, & emiserunt, omniãque ad cibum, & potum sequentis diei, quò ab omni opere ex veteri lege, abstinendum, parata steterint, & *cauda thynni* vilis piscis *rubrum casinum* fictile vas *amplexa*, *natat*, cum aliis vilibus esculentis, & *salba fidelia vino rumes*, & plena est; tum pudet dicere, Romanus cùm sit; non aliter ac si præputio careret, Iudæus, aut vile Syriæ mancipiũ foret, miser, & superstitiosus *labra movet*, & nescio quas preces *racitus* secum demurmurat, & *recussa Sabbata*, à Iudæis apellis, & circumcisus, & cuticulã præputii carentibus celebranda *pallet*, & summã veneratione, timore ac tremore colit. O stolidos libertos, ô servilia pectora, ac mæcipia! qui vos cives, & Romanos quidem liberos jactatis, & interim abjectissimorum Iudæo-

rum, & vilissimorum mancipiorum sacris vos adstringitis. Quid? quod non una illa Iudæorum, sed innumeræ aliæ religiones, vel superstitiones vos anxios, ac sollicitos detineant. Nam tanta vestra ridicula dicam, an insana Superstitio, ut si quis non semper mane caput alij ser ante nominatum, & prædictum gustaverit, & hoc sacerdotum mandatum casu neglexerit; mox tanta ejus animum timiditas occupat, ut eum vix respirare sinat, ut ille nunquam quietus esse possit: Nimirum tunc nigri nocturni spiritus, & Lemures mortalibus noxii & adversi, sibi ob oculos versari, & nescio quæ dira intentare creduntur: Tunc omnia illa pericula suo capiti, ac cervicibus impendere judicat, quæ olim ovo cineribus imposito, putamine rupto stolidi, & nugacissimi sacerdotes prædixerant: Tunc grandes illi, & longævi Galli Cybeles magnæ Deum matris mystæ, & lusca, clauda, aut alio corporis defectu vitata Isis sacerdos cum sibro, & crepitaculo ipsi comminati sunt, & Deos Isidem, & Serapidem corpora inflames, & morbos immittentes incussere, & ad ultionem, & pœnam, quod non paruerit, infligârunt. An non hæc misera servitus? an non miserimus ille dominatus, qui te tanto timore occupat, tam miserè territat, atque exanimat? Quid ergo? An tu qui tot imperiosissimis, & crudelissimis dominis Avaritiæ, Luxuriæ, Libidini, Ambitioni, superstitioni, alijsque animi perturbationibus, & opinionibus, abjectissimè infervis, liber es? Ego profectò te servum, & mancipium dico vilissimum, licet vel ex amplissimâ familia oriûdus, potes, ac dives sis; aut omnium Prætorum suffragio liber-

tate

tate sis donatus. Illum verò, non solum liberum, sed dominum, regem, & Imperatorem dicam, qui animo Sapientiæ, & virtutis studio liber est; quia alto, erecto, & excelso animo omnia mundi præ virtute, & sapientiâ spernit; animi labem, ac pestem avaritiam coercet, luxuriæ frena injicit, libidines reprimat, honores contemnit, & sanæ denique religioni addictus, vanas aliorum superstitiones floccifacit, & irridet. Non ignoro autem, quàm hoc, quod dico rudibus, & imperitis absurdum, & incredibile appareat; quàmque hæc mea de vera libertate sententia parum grata aureis nostris mancipiis, & centauris Romanis futura sit. Qui ut vel maximè Philosophos rideant, illorumque auctoritatem elevare conentur, sperno eos, & contemno. Morus enim ego, & parum cordis, & frontis habere meritò credar, si stolidos illos, & moros morer; quippe quibus ipsâ virtute, ipsâ veritate, quam nec habent nec agnoscunt, nihil molestius, nihil ingratius. Sanè si hæc inter stultos milites, aut varicosos illos, & vitiosos militum Centuriones dixeris: Continuo ingens ille bardus, & rudis Centurio Vulpenius illa tâquam absurda, & ridicula cachinno excipit, & immanè & crassum ridet, vel potius rudit: Et omnem Philosophiam, & liberales artes, & scientias vix casâ nuce emerit; & centum Gracos, viros doctos, & sapientes vix cum uno milite commutat; imò omnes curio centusse, centum imminutis assibus, singulos Philosophos singulis assibus æstimat, & licetur.

L 2

IN SATYRAM VI.

PARAPHRASIS.

QUANTUM, Cæsi Bassæ amicorum certissimi, & longo tempore te non vidi, magno etiam locorum intervallo à te disjunctus sum: Nulla tamen longa dies, nullus remotior locus tui memoriam mihi eripuit, tui oblivionem mihi inducere potuit. Quo ipso sanè nomine hoc tempore nihil mihi gratius, nihil prius, & amplius accidere poterit, quàm ut de te certior fiam. Vbi ergo locorù te nunc jam degere, & quid rerum nunc gerere dicam? Ecquid jam in agro tuo Sabino, vivis; & nunquid ibi jam bruma, & hiemale tempus suo frigore, & aëris inclementiâ te foco admovit, & ad ignem compulsi? Nam hibernorum causâ etiam ante hac in illum locum te fecerisisse memini. Quid autem operis te illic nunc præ manibus habere dicam? Neque enim verisimile est tam egregium Poëtam, talem, & tantum Epicum, & Lyricum ocium agere, & ignaviâ bonum tempus terere; Iamne aliquid scribis, quod Flacci, aut Maronis immortalia ingenii monumenta vincat, & superet? Iamne amabilis illa lyra, ad quam divina tua carmina canere solitus, & suaves ejus chorde tetrico pectine, & severo, & crispo plectro perculsæ sibi vivunt, & personant? Iamne Lyricum aliquod carmen, ea qua Romę solebas, gravitate, & styli puritate conficis? Sanè in hoc argumenti genere, o Bassæ vates mire, & optime, quàm sis mirus opifex, quàm mirandus artifex, quàm sublimis, & gravis scriptor, nemo

nemo cæci divina tua quæ exstant opera, vel obiter tantum inspecta sunt, obscurum esse potest. Nimirum te unum juvat, antiquissimam illam versuum, & hymnorum scribendorum rationem, tot annorum desuetudine pænè in totum exoletam in usum revocasse, & veterum vocum primordia quibus præfici Vates Divos, & fortissimorum principum & regum res præclare gestas, & victorum virtutem in sacris certaminibus equestribus laudabant, numeris, versibus & rithmis rursus excitasse, & fortem, marem, & virilem sonitum & strepitum lyrae, & fidiæ Latinæ à Græcis ad Romanos translatae intendisse: & solerti nervorum intensione virorum fortium virtutem, & certamina Latinis versibus descripta, ad lyram cecinisse; Mox rursus tanquam egregium & excellentem Melicum te delectat juvenes jocos, voluptates & amores lepidis, & jocundis Odis sine omni verborum lascivia agitare, & depingere; tum etiam egregios, honestos & graves senes, eorumque præclara studia, & laudabilia facta honesto pollice, gravi dicendi genere, docto, & decoro Poemate lussisse, descripsisse, & junioribus imitanda ob oculos posuisse. Quò in studio honesto ac laudabili te feliciter pergere, & aliis utilitatem, tibi nominis immortalitatem parare, nihil equidem dubito. Quòd si de me quæras, quid ego rerum agam, & ubi nunc terrarum vivam, scito me nunc itidem Roma abesse, & quidem in Liguria vivere. Nam Liguria illa ora, & regio sua natura calidior, & meridiei propinquior mihi nunc hoc frigido hiemis tempore intepet, & temperatiore aërem præbet; & meum Hetruscum mare in cujus vicinia Vola-

terre patria mea mihi *hybernatur*, & hieme hac tempus, & locum præbet. Quo quidem loco an alius amœnior, & ad vivendum accommodatior sit, haud promtè adfirmaverim. Nã aër hic temperatissimus, & saluberrimus, portus amplissimus & amœnissimus: *Quã* nimirũ altissimi *scopuli ingēs* ab utraq; parte *latus dat*, porrigūt, et mari objiciūt; *littus multã valle*, & maris planitie, mōtibus, & scopulis, tanquã gremio, inclusa, *se receperat*, & incurvatur, & naturalè, illum portũ efficit: Portũ, inquã, illum oppidũ Lunę longè amœnissimum, et nobilissimũ; cui omnis generis merces importatũr; & qui navibus longè tutissimũ à ventis, fluctibus, et frigore finum quasi vallem efficit: Et quem portum antiquissimi etiam, & gravissimi Poëtæ suis Elogiis, et laudum Encomiis celebrare non dubitarunt. Nam et *cor*, & summum illud ingenium *Ennĩ*, qui populi Romani bella, & res egregiè gestas descripsit, *postquam* ad se reversus non amplius furore Poëtico delirat, et *Maonides*, vel Homerus *quin-tus*, ex *parone*, Euphorbo, Homero, et Pythagora (ex quo Metempsychosi et animæ translatione aliquã *Pythagoreã*, Homeri animam accepisse se dixit) *esse desertunt*, Homerum se esse somnare desuit, & omisã Pythagoræ de animorum in alia corpora transfmigratione, è somno expergefactus jam prudēs *Q. Ennius* rursus sibi videri cepit: Hic, inquam, *Q. Ennius* cordatissimus scriptor, in Annalibus suis hũc portum laudat; ubi *hoc* quod sequitur *jubet*:

Lunai portum est opera cognoscere cives.

Nimirũ operę precium ratus, ut cives, & mercatores Rom. illũ portũ ob loci amœnitatē, & mercimonia

&

et negotiationes amplissimas accuratè cognoscant, & considerēt. *Heic*, inq̃, *ego* Lunę, in maritima Liguria ora nũchiemo. Quod si scire etiã desideres quid in hoc loco tam amœnissimo agã; scito quod in dulci pace, & tranquillo ocio dega; *unq̃*, & quid de meisq; studiis rebusq; sētiat planè *securus*, & ab omni ambitione populari, omni sollicita bonorum cupidine, omni opum cupiditate, omni invidia, & reliquis animi perturbationibus alienus, & immunis, in summã animi securitate, & tranquillitate. Non enim sum sollicitus, aut anxius de annonæ caritate, de re domesticã, & familiari, de proventu pecudum; & fęgetum: Nec curo quid *Auster* ventus meridionalis suo noxio calori *pecundi* inimicus, & *infelix* ei que pestem, morbum, & mortem inferens *preparat*, & portendat. Nec alienis opibus, & felicitate invidus excrucior. sed *securus* sum, & sine omni sollicitudine, quod alius me ditior est; quod *angulus ille vicini nostri* agro *pinguior*, & fertilior est. Quorsum enim mihi ista illa invententia, quæ aliorum odio miseram mihi vitam, & præmaturam senectam adferat? Ego verò nemini in video: ne malis quidē, si opibus, & honoribus adfluētes videam: *Est adeo si omnes homines peioribus orti parētibus*, ipsi pessimi, & perditissimi *ditefcāt*, & ad maximas facultates, sumos honores perveniãt; nō ego propterea miser esse, & excruciarı, aut in luctu degere, ab animi trãquillitate deturbari, aut non ex animi sententiã lætè velim & jucundè vivere: Sed semper negē, & *usq;* nolim, & *recusem* ob malorum opes, & *ob id* quod alii ditefcūt, tristis, & in terram cernuus, *curvus*, & mæstus esse, & *senio*, tēdio,

odio, & invidiâ *minui*, & tabescere, & *sinuncto* & oleo pingui & lautiori cibo liberaliter & jucundè *cœnare*; nec cupiam sordidorum more, (qui vapidum, & corruptum vinum, ne quis, domesticorum furtim illud ebibat, obsignare fidelias annullo sup solent) *signum in vapidâ lagenâ*, corrupto, & vappescente vino plenâ annullo obsignatâ *naso* inter bibendum *exigisse*, aut fordidè, & miserè invidorum more vivendo, corruptum vinum bibere. Et ita quidem ego animatus sum: nec moror, quòd Romani à moribus meis dissentiant. *Discrepet* sanè ab *hisce* meis moribus liberis, & liberalibus *aliis* Romanorum quispiam? nihil impedio, & contradico. Nam in variis hominibus varia quoque studia, & mores. Alius immensâ habendi cupidine excruciat; alium honoris cupido insomnem detinet; alius omni genere luxuriæ, & voluptatis diffluit. Quin etiam tu ô une, & idem *Horoscope*, ô idem temporis momentum quo quis nascitur: sæpe *geminos* iisdem parentibus eodem tempore fatos, & in lucem editos *varo Genio*, vario ingênio, dissimilibus studiis, diversis moribus in lucem *prodncis*: Et inter illos ipsos *geminos* unus *est*, qui extremè sordidus & avarus, aliàs miserè, & tenuiter victitèt, in *solis* autem diebus *natalibus* lautius aliquanto vivere sustineat, & *vaser* ad parsimoniâ, vel ad avaritiâ potius, & industrius, *olim* sine ullo condimento, aut uncto *succum*, vili piscium liquamine, & *murriâ* parcè, & in exiguo vase, & *calice emtâ tingat*, & inungat: Et ne fortè domesticorum quispiam illud lautius condat, aut largiùs & liberaliùs aliquid infundat, *spse piper*, tanquâ *sacrum*, & non tan-

tangendum, sed parcè dispensandum *patina*, aut vasi menfario *irrorat*, & in morem roris minutim & parcè inspargit. Ast *hic* geminorum alter moribus, et studiis planè contrariis nepos prodigus, et luxuriosus *puer* adhuc tanquam liberalis, munificus, et *magnanimus* immensum patrimonium, et *grandia* paterna *bona dente*, gulâ, pene *peragit*, dilapicat, et absumit. Ast *ego* ab utriusque moribus alienus esse studebo, et ad mediocritatem semper respiciens, vitium avaritiæ, et luxuriæ sedulò cavebo; et meis bonis ac facultatibus *utar, utar* inquam, sed non abutar; *nec* iis tanquam sacris parcam, aut velut picta tabella gaudebo; sed ita tamen ne in luxuriæ vitium incidam et *ideo* nimium *lautus*, liberalis, et prodigus sim, mei que *libertis*, et domesticis *rhombos*, preciosos pisces, et alia in delitiis habita in cœnam, et cibum *apponere* nò verear, et erubescam; *nec* more extremè delicatorum *sellers* sim et subtilis, *salivam tenuem*, et saporem minimo discrimine distantem *turdorum* juniperis pastorum, et aliorum *nosse*, et discernere. Nam mediocritate semper utendum est, et etiam atque etiam videndum, quid opes, et facultates tuæ sustinere valeant, quid eadâ ferre recusent; et ita illis fruendum, ne aliquando egeas. *Quare* ad modum in rebus tuis semper respice, et *messe tenuis propriâ*, non ultra qualitatem, et conditionem proventus tui *vive*, et victita; *Quantum*que facultas annuorum redituû permittit, et agricultura, ac messis tua annuatim tibi confert, tanrum infume. Nec te ab opibus, et facultatibus tuis sordidorum more abstinere volo: Sed tu partis utere; Nec *granaria*, et frumenta tua

accumula, sed illa *emole*, et molédo & ad honestos u-
 fus adhibendo consume. Nihil etiam tu illa honestè
 consumere metuas, quod terra parens paulò post
 benignè tibi reddet; quòd si vocationis tuæ offi-
 cia fideliter exsequaris, cum fœnore recipies. Hoc
 sanè te facere æquum, et *fas est*: Et *quid* tu illud fa-
 cere *metuas*, tanquam illud quod abundè sufficit
 tibi satis futurum non sit. Tu tantum agrum tuum
 stercora, ara, sere, *occa*, & rustica opera diligenter
 exsequere, & altera mæsis, *altera feges tibi in herba*
est, tibi in agro resurgit, crescit, & ad maturitatem
 perveniet. Quòd si munera tua fideliter obieris, nò
 est quòd de Deum providentiã dubites, nihil rerum
 necessariarum tibi defuturum; semperq; quantum
 infumferis tibi reponetur. *At* non tibi solum mo-
 re multorum jucundè, & liberaliter *vive*, sed in ali-
 os etiam calamitosos, miseros, & afflictos liberalita-
 tem, & munificentiam tuam exerce. Nam *officium*
 hominis, ipsa natura, ipsa humanitatis lex, & ratio
 quæ homini hominem prodesse jubet, hoc ipsum
vocat, exigit, & requirit. Ecce autem *amicus* tuus
 calamitosus, *inops*, & naufragus, *traberupta* & navi
 fracta, & submersã vim enatando evadens *saxa Bru-*
ria, scopulos maris Lucani, & Brutii, ad quos vento
 allisus, *prendit*, & ne submergatur amplectitur; *Et* sic
omnem suam *rem*, & substantiam, & *surda* sua, & Diis
 tãto periculo nò audita *vota*, ad quæ rebus deplora-
 tis nauæ demũ confugiunt, in mari *Ionio* *condidit*, &
 tristissimo naufragio perdidit, & amisit. A deoque *ip-*
se amicus tuus naufragus, & miserabilis in *Brutio lit-*
ore, quo tempestate ejectus est, *jacet* & *una* cum ip-
 so

so *ingentes* illi, & potentes *Dei*, in quorum tutelã na-
 vis fuit; qui & ipsi vim, & iram Neptuni parum effu-
 gerunt, & nec sibi, nec aliis profuerunt: *Quorum*
 itatuas, & simulacra *de puppe* ablata secum è naufra-
 gio eripuit, & ad littus detulit, omnium Deorum, &
 hominum auxilio destitutus. *Iamq;* navis ipsius fra-
 gmenta toto mari circũcirca agitantur; & navis *lace-*
ra; ac *ratis* fractæ pars, *costa* & tabula ipsis avibus ma-
 rinis, & *mergis* *obvia* sunt, & longè latèque incurfan-
 tur. Quare *nunc* opus est, ut amico tam misero, & ca-
 lamitoso humanitatis aliquod officium exhibeas:
 nunc liberalitatem te exercere æquum est & amico
 tam miserabili de victu, & amictu prospicere; nunc
 non solum fructum, quem ex agris percipis, sed agri
 etiam aliquam partem amico cõcedere? nunc de *vi-*
vo *cessite*, agris, & hortis *aliquid frange*, & *inopi* *largire*,
 & distribue, unde vitam, victum, & amictum sibi su-
 stentet; *ne* omnino ad miseriam, & mendicitatem re-
 digatur, nec, ut naufragi mendici assolent, *in tabulã*
 unã cum suo naufragio, navi, mari, & aquã *coeruleã*
depictus ab uno ad alium mendicando *oberret*, &
 miserabili hac picturã intuentes ad misericordiam
 commoveat, & stipem commedicare cogatur. Haud
 enim æquum est te omnis generis opibus, & divitiis
 abundare; amicum verò tuum miseriam, & calamitate
 indignum indigere, & rerum inopiã premi, & con-
 tabescere. *Sed* quid ad hæc Romani nostri Euclio-
 nes respondebunt? Nimirum tantam liberalitatem
 in amicos inopes exercere, & vivis patrimonium im-
 minuere sibi integrum non esse. Nempe si id faceres;
 tunc *hæres* ob id tibi infensus, & *iratus*, quòd *rem*, hæ-
 redita-

reditates, & opes tuas, in amicos, & alios erogando, *curtaueris*, & imminueris, ubi mortuus fueris funebres exsequias, Silicernium, & *funeris* vel feralem *coenam*, quæ unâ ad rogam allata cum corporis cadavere crematur, *negliget*, & omittet; nec ossa tua honorificè sepeliet, & *urna* tuæ reliquias, cineres, & ossa sine odoribus, nullis unguentis & aromatibus delibuta, & perfusa, sed planè *inodora dabit*, & condet, & *paratus* erit *nescire*, & nihil omnino curare, sive aromata adhuc, & odores boni & recentes, sive situ, & vetustate exhalati, corrupti, & vitiati sint, & *sen* crocus, & *cinnama* *surdum* *spirent*, & redoleant, illorumque odor, non acutus, sed surdus sentiri nequeat; *seu casia* *cera* *so*, & putaminibus aliarum arborum *peccent*, & adulteratæ sint. Hæc inquam omnia ille nihil curabit, nec mortuo debitum honorem exhibebit, nisi bonis tuis parcere; & hæredem tuum locupletem facere studeas. Quid enim? inquiet hæres tuus: *Tu*ne ut *bona*, res, & facultates tuas sic immo, *inuas*, & atteras, & ad alios transferas, quæ te mortuo mihi debentur? idq; cum ad huc salvus sis, & *incolumis*, & nullâ angustia, nullo morbo pressus ad valetudinem tuam istâ profusione non indigeas. Nempe ubi mortuus fueris, eâ dignitate, & honore, quam ab hæredibus tuis, quos omnib. modis defraudas, promeritus es, sepelietis. *Sed* & *Bestius* alter hæredipeta vultur, sordidus, & avarus, & quicumque imperitus illi similis, ubi te liberaliùs vivere, & amicis, & calamitosis benefacere senserit, te continuò prodigum clamabit. Sanè qui Philosophos, & *doctores Grajos* qui beneficentiam, liberalitatem, humanitatem do-

cent, &

cent, & inculcant, & avaritiam, sordes, & reliqua hominum vitia animis extirpare student, & à quibus humanitas, leges, & jura orta, & in reliquos homines distributa; illos, inquam, Sapientes acerrimè accusat, damnat, urget, & per ipsum stare, urbe eijceret, & expelleret; quasi cum magistri virtutù esse deberent, ipsi vitiòrù auctores, & libidinis, ac luxus administri inveniantur. Nimirum cum Bestii sordes insectatur, aliis prodigis ut sua dilapident fenestrâ aperire videtur. Solet. n. ille dicere: *Ita* nimirù *sit*, ubicunq; pestiferum illud genus hominù Philosophi, qui sapietes, si Diis placet, dici, & haberi volùt, semel pedè fixerit, ibi statim parsimonia, frugalitas, & reliquæ bonæ artes, quibus opes, & facultates adquiruntur profligari, & penitùs extirpari incipiunt, & cõtrâ luxus, & profusio omnia inudare. Sanè *postquã nostrã* *hoc sapere*, nòlta sapietia antea *maris* *expers*, navigiù ignara, cismarina, vernacula, & Romæ nata, jam transmarina facta est, & ex quo Philosophorum disciplina, & Sapietia è Græciâ unâ *cũ pipere*, *palms*, & aliis peregrinis mercibus per mare navibus *urbi* *Romæ*, *venit*, & in Italiam advecta in urbem penetravit: tanta incontinenti; luxuria, & prodigalitas continuò Romam invasit, ut plerique summa patrimonialia, maximas divitias, amplissimas facultates ita in vita per luxuriam actâ, attriverint, ut non modò nihil ad hæredes pervenerit; sed ipsi etiam ex ditissimis inopes mortui sint. Atque adeò non divites solum, & opulenti; (quæ antequam Græcorum Sapietia ad nos pervenit, parcissimè vivebant, & tenuissimo cibo & pulte vescerantur) sed etiam fæx populi, & vilissimi qui-

que

que lautè, & luxuriosè vivere ceperunt; adeoque etiam bajuli, *feniseca*, & alii viles mercenarii, & rustici, qui farum secant, cibos suos condire, & olus suum inungere didicerunt, & *pultes* suas *crasso*, & copioso *unguine*, adipe pecudum, & lautis condimentis *vitiarunt*, & infecerunt. Atque ita hæredes de Philosophis sentiunt; ita passim de munificis, & liberalibus loquuntur; quibus ingraticere, periculū est, nemoris honore, & honestà sepulturā postmodum careas. Nonne bella hæc, & imperitis condigna oratio. Nam quibus rationibus infamem suam avaritiam, & sordes sædisimas melius excusare, & tetrum illud inhumanitatis flagitium commodiùs tegere, & celare possent? At heus tu avare fordidissime, qui nescio quam parsimoniam, & frugalitatem mihi memoras, quam avaritiam, & sordes rectiùs dixeris; & hæredes ne parūm honestè sepeliaris, præterdis: unde quæso nova illa, & insolens tibi religio, qui in vitā, modò pecuniam, & opes adquiras, nec famam, nec conscientiam, non homines, non Deos curas, & nihil adeò pensi habes; jam honestatem, & honorificam nescio quam munificentiam mortuus tantopere requiris. Quis hîc turpissimum illum avaritiæ prætextum, & infame fordium pallium non videt? Tūne illud curas, quid te mortuo futurum sit potiùs, quàm quid te vivo à te fieri æquum sit? Tūne quid mortuum exornet potiùs moraris, quàm quid vivum decoret, & deceat? *Haccine* denique quid hæres de te mortuo sensurus, & quomodo te sepelurus sit, ubi jam mortuus, & in cinerem redactus; imò jam *cinere ulterior*, nec jam ampliùs cinis, & pulvis

pulvis fueris, sed in ventum, & fumum corpustuum abierit, tu magnoperè *metuas*, cures, & moreris? Nonne didicisti vitam cum virtute, libertate, & liberalitate honestè transigendam esse; illa autem, quæ post fata, & nobis morte extinctis futura sunt, non curanda, sed Diis committenda esse? Quid verbis opus est? Malus pariter, & stultus es. *At* ego Persius, si liberaliter vivere, & aliis me munificum, & liberalem exhibere velim, nunquid hæredem meum morabor? Sanè ego longè aliter bonis, & facultatibus meis utar; & illis quàm diu ego fuero, quàm diu illæ erunt, honestè perfruar, securus quid hæres vel me vivo, vel me mortuo de me sensurus sit. Quid enim? Nunquid hæredi meo facti mei rationem probavero? Profectò si ille beneficentiam meam reprehendere, meq; in liberalitate meâ interpellare sibi licentiamumat; ego tantum abest, ut simulates, & indignationè ejus magnopere curem, ut illum remotis arbitris durissimis verbis compellare, & increpare non verear: Heus tu quisquis meus hæres eris, bonorum meorum possessor ex testamento mihi relinquendus; illa quæ dicturus sum *paullum à turbâ* ac populo *seductior*, & remotior audi, & intentè ausculta. *Heus bone vir, num* tu quid animi sim, & quidnam incepturus, *ignoras*? Age, ne nescius sis, tibi exponā. Ante paucos dies à Claudio Caligulā *Cæsare laurus* victoriæ index, unā cum literis *ad* senatum *missa* est, ob egregiam Romanorum victoriam, & *insignem cladem*, & stragem *Germana pubis*, & juventutis. Huic Cæsari tanquam victori, & triumphatori jam unusquisque gratulatur, & procuratores ejusmodi triumphum

umphum parant quantus vix ullò sæculo alius fu-
 iſſe perhibetur. Nam ſacrificia, & victimæ in ejus
 redditum, & triumphum certatim præparantur; ab
 omnibus *avis frigidus cinis*, & vetus pulvis *excussur*,
 & removetur, omnia altaria ad novum ignem, re-
 centes victimas mundantur, & adornantur. *Cæſonia*
 autem Imperatoris Caligulæ uxor jam captivorum
 hoſtium *arma*, jam barbarorū *regum* devictorum e-
 gregias veſtes, *clamydas*, & alia ſpolia huc miſſa tem-
 plorum columnis, & *poſtibus* ſuſpendit, & affigit: *ſam*
lutea ganſapa, & crocea, ac villoſa ſtramenta, quibus
 ducēs captivi, & hoſtes induti in triumphum ducan-
 tur, *captis* & devictis in triumphum ducendis accō-
 modat; & *effeda*. Germanorum, Belgarumque vehi-
 cula, & *ingentes Rhēnos*, proceros Germanos, *Rheni*
 accolæ captivos in ordinem collocat, & futuro tri-
 umpho diſponit. Quo d*ignur* felix, & fauſtum ſit,
 Ego Perſius ob inſignem hanc victoriam, *ob res* tam
egregiè geſtas, ob glorioſum ad eò triumphum *Dii*
 hujus victoriæ auctoribus, & Cæſaris, *ducisq;* noſtri
Genio, & natali Deo, cujus ductu, & auſpicio res tam
 feliciter ceſſit, ludos, & munera gladiatoria, atque a-
 deò *centum* gladiatorum *paria* in theatrum *induco*,
 & exhibeo, ut *Dii*, Deeq; immortales Imperatori,
 Senatui, populoque Romano hanc victoriam bene
 vortant. *Quis* autem *vetat* vel prohibet me, quo mi-
 nus id faciā? Tūne meus hæres? Age, ſume tibi tantā
 animi confidentiā, & *aude* mihi contradicere. Ne il-
 lud ſine maximo tuo malo nō facies. Ve tibi ſi quid-
 quam contra muſſaveris. *Vatibi niſi* mihi adſenſeris:
 Ve tibi niſi ad hæc omnia *cōnives*, & amuis. Quin eti-
 am

am ut videas me liberam agendi potestatem
 cum meis habere, prout animo meo collobitum
 fuerit, etiam plebi *oleum*, *artocreas*, & cibos ex pa-
 ne, & carne confectos diſtribuo, & *popello* epulum,
 & congiarium *largior*. An tu hæres illud fieri *prohi-*
bas, & *vetas*? Ringeris, & murmurās? *Dic clarè*: quid
 muſſitas? Ecquid hæc reſtibi gravis, & moleſta eſt?
 Nimirum tandem mihi reſpondeſ, & *inquis*: *Non a-*
deò hoc mihi moleſtum eſt; nec impedio, aut contra-
 dico, quo minus animo tuo, o Perſi, morem geras.
 Rectè fanè; niſi jam exhæredari, & liberalitatem, &
 libertatem meam cum magno tuo malo experiri ve-
 liſ. Et quidni me, o hæres, non impediās? Si enim
 tu vel maximè ob hæc meam liberalitatem indigne-
 riſ; quin etiam meus hæres eſſe reſuſaveriſ, nō inter-
 eā tamen unquam hæres mihi deſuturus eſt. Quòd ſi
 mihi obloqui, & in funere meo, neſcio quid, minari
 inceperitiſ, facilè ego alium invenero, qui quidquid
 reliquero grato animo accepturus ſit, meque in ſu-
 per ſplendidiffimo funere, & ampliſſimiſ exſequiſ
 ornare non reſuſabit. Etenim ſunt mihi modicæ di-
 vitia, eſt præterea ruſticanum prædium non procul
 ab urbe ſitum, & *juxta æger eſt* totus terreus, *exoffatuſ*,
 fertilis, & terræ oſſibuſ, ac lapidibuſ repurgatuſ, &
 ſæcunduſ. *Age jam* ſi mihi nulluſ cognatuſ, nulluſ
 conſanguineuſ foret: ſi *ex amitiſ*, & patriſ ſororibuſ
nulla ampliuſ in vitâ *reliqua* ſit: ſi *nulla patrueliſ*,
nulla è patriſ mei fratré nata filia ſuperſteſ ſit; ſi *nulla*
mei patruſ nepotiſ filia, aut *pronepiſ* in vitâ reſtat, &
manet; ſi omneſ illaſ condidi, & ſepeliuſ: Si porrò *ma-*
tertera, matriſ ſoror, mater mea altera *ſteriliſ*, & ſine

liberis *vixit*: si denique *de avia* meâ *nihilum superest*, & nemo est, qui ullâ consanguinitate mihi conjunctus sit: Non tamen idcirco omni hærede destitutor: nec propterea de hærede sum anxius, qui olim justa mihi perfolvat. Quid enim promptius, & facilius, quàm hæredem invenire? Ego verò tantum viam Appiam peto, & ad pauperem vicum *bovillas*, & in valle Aricinâ *ad clovum* *Virbi accedo*; Ibi statim *Mannus* Gigantum fraterculus, homo obscurus, & *serva* filius, ac *progenies*. omnium bonorum meorum *hæres mihi præsto est*, & ultrò sese mihi offert. Ei bona mea legare quis prohibebit? Nam si quis fortè mihi objiciat Manium ignobili genere, obscuris parentibus ortum, & à mea familia alienum esse, & proinde eum hæredem vix scribi posse, & legibus vix id ipsum esse permissum: Illi ut concedam ipsum hominem obscurum esse; ita mihi consanguinitate nec propinquum esse pernego. Nam si de utriusq; nostrum cognatione perquiras, mirum ni propinqui, & consanguinei reperiamur. Quasi verò Manii familia solum obscura sit, & meum genus non æquè obscurum, & incertum. *Quære enim age ex me, quis mihi ab avus, vel proavi mei pater, aut quartus denique pater sit*: Illud sanè *hand promptè* tibi dicam: & *tamen* ubi multum diuq; quæ sivi, & omnes familiæ meæ Genealogias perlustravi, tandem tibi fortè *dicam*, & expediam. At age verò ampliùs quære, & *unum* adhuc *adde*, & adhuc insuper *etiam unum*. & de abavi mei patre, & avo, deq; meo atavo, & tritavo, quoniam illi fuerint, ulterius quære: Ille verò *jama* mihi æquè *est terra filius*, ignotus, obscurus,

scurus, incertus, incognitus; *Etsi hic ipse* quem dico *Manius*, & ipse terræ filius ignobilis, & obscurus haud immeritò è gente mea videri potest, & cognationis, & generis *ritu*, ac ordine *propè major* meus *avunculus*, & avi, aut aviæ meæ frater *mibi exiit*, & evadit: nec absurdè à me hæres scribitur, cum ex eadem gente, & familia, utpote terræ filii, cui terra prima mater, firmus oriundi. Ac proinde nihil obstat, quo minus, ubi libitum fuerit, ipsi omnia mea bona legare, & ingratos affines cognatosq; exhæredare possim. Quæ autem, proh Deum, atque hominum fidem! hæc tam incredibilis, tam inaudita, tam insignis plerorumque hæredum impudentia? Quibus frons nimirum probè perfrieta; imò tota quanta quanta periit; qui cum majores sint natu, & Orco, ac capulo longè viciniore, tamen juniorum mortem avidè expectare, & illorum bonis inhære non erubescunt. Sanè vita nostra hominum Stadiodromo non est dissimilis. Nam ut in stadio prior cum lampade currens, ubi defatigatus est, tradit eam secundo sequenti, qui item festus porrigit illam tertio succedenti, atque ita deinceps: Sic in vita humana si cui seniori, & priori cursus vitæ absolutus est, ille bona sua hæredibus, & natis ætate minoribus relinquit. Qui minores ubi & ipsi ad vitæ finem, & metam currendo pervenerunt, & defatigati occidunt, facultates suas è se natis tradunt: Et ita omnia bona semper ad hæredes natu minores transeunt. Tu autem silicernium pessimum, senex impudentissime, quæ insania, & sacra, ac amens pecuniarum cupiditas te agitat, ut à me juniore hæredi-

tatem expectare non erubescas? Et tu *qui* in hoc vitæ humanæ Stadio dromo mecum curris, & me in vitæ humanæ curriculo *prior es*, fatali metę propior, in vitę cursu senio fessus & defatigatus, jamq; emeritus es, & annorum deniq; spacio me longę ätecedis: *Cur in decursu ä me lampada poscis*, cum illam mihi porrigere debeas? Cur ä me cum major natu sis, dum in decursu sum, & adhuc vivo, postulas ut moriar, & tibi patrimonio meo cedä, & illud tibi tanq; lampada tradam? Nam qua fronte senior junioris heręditatę tam impudentissimę captas? Quid? quod non erubescas ä me exigere, ut meis mihi bonis & facultatib. mihi interdica, nec iis utar, ut scilicet, eod cumulatione, & ampliora ad te perveniät. O incredibile impudentia! Egone miserę vivä, ut tu luxuriosę vivas? Sanę si quid frötis tibi superesset, hæreditatem meam (si fortę illa quandoque tibi obtingat, quod quidem Diis in manu) in lucro adventitio reputares, & velut Hermeum quoddam, quod Mercuri Dei lucri beneficio, tibi gratuito obvenit, reputares. Etenim ego *tibi sum tanq; Mercurius*, tanquam Deus lucri, qui mea bona relicta gratuito tibi offeram, & que täquam Deorum munere tibi offeruntur, & ad te devolvütur. Sanę ego *hinc tanquä Deus, ut ille Mercurius* dexträ marsupium tenes *pingitur*, cum bonis, & hæreditate meä ad te *venio*, eamque tibi gratis, sine tuo merito offero. An tu illam accipere renuis, & recusas? *Visne tu bonis ä me tibi relictis gaudere*, & qualiacunq; illa sint, boni consulere? præsertim cum tibi nihil omnino debuerim. Quod si *aliquid summa* bonorü meorum *deest*, nūquid tu illud mihi objicies? Sanę si quid

ego

ego bonorum meorum insumsi, illud mihi insumsi, *mibi imminui*, ä meis bonis abstuli, & ad usus, quos ego volui, trästuli. *Sed quidquid id est*, quod tibi debebatur, illud *totum*, & integrum est, quamvis vel minimum, imò nihil omnino sit, cum revera tibi nihil debuerim, & pro arbitrato omnia in sumere potuissem, Ut en. in augendä re tu mihi laboris socius non fuisti, ita nec in eä imminuendä mihi aliquid præscribere debes. Si autem, o hæres, me audis, & rebus tuis benęconsultum cupis, etiam atq; etiam *fuge, & cave querere* ex me, *ubi illud sit. quod Tadius olim* in testamēto *mibi* tanquam hæredi; *legarat*. Ejus enim rationem tibi reddere nō teneor: *Neu* patruus mihi sis, aut *pater*na censoria, & imperiosa dicta & verba, quibus täquam pater ä filiis, ä me accepti, & expensi rationem exigas; mihi pro beneficiis meis, & bonis, que tibi relinquo, *reponę* & retribue. Que enim hęc impudentia est, hæredem ä testatore suo rationem reposcere? Quod si tu mihi vitę, & victus rationem imperare, & præscribere voles, & calculü mecum ponas, & dicas: Tünc capitalem summam imminuis, qui quotannis tätum scenoris ä debitoribus tuis recipias? *Quin fœnoris merces*, & usura tätum ad te *accedat*, & te alat, *hinc omnes sumptus* & impensas *exime*, & quidquid opus est, hinc tibi compara; de lucro; inquam, non de sorte; & ita quidem ut de lucro adhuc aliquid redundet, & reliquum sit. Iam autem *quid* redundat, aut *reliquum est*, quando omnia pænę absumis? Nam quid tu dicis heres impudentissime, & ingratisime? Tünc me omnia absumere cöquereris? Tünc exigis, ut de scenore aliquid redundet, & reliquum sit? *Reliquum?* Heus tu

M 3

ô serve, & *puer!* nunc delicatiora adhuc fercularum mihi
 cōpara; nunc longè adhuc lautius, & sumptuosius cœ-
 nam mihi para: nunc cibos pingues, & delicatos *im-*
pēsūs mihi *unge*; nūc *caules*, & olera meliori oleo mi-
 hi *unge*, & pertunde. Nihil enim omnino relinquere,
 & omnia antequam moriar consumere stat sententia.
 Quorsum enim opes, & facultates heredi tam ingra-
 to, tam impudenti? Quorsum ego egenti fato *vivā*,
 ut locuples moriar? Quorsum ego meum Geniū de-
 fraudem, ut opulentiorē heredibus pessimis heredi-
 tatem relinquā? Quorsum autem magno labore pa-
 raverō, magnā curā custodivero, summo etiam stu-
 dio illis pepercero quæ ingratus hæres ad voluptatē,
 & libidines turpissimè profundat? Quorsum deniq;
 ego inter divitias pauper, & inter opes inops vivam,
 ut heredes mei luxuriosè, & prodigaliter, benè parta
 gulā, ventre, pene dilapident? Vt nimirum *mibi* sor-
 didè, & tenuiter victitatī *luce festā*, aut die natali, mo-
 re extremè avarorum, cum alii liberalitè Genio in-
 dulgent, *durum*, & siccū *olus*. et *sum os sum sinciput*, aut
 porcini capitis fructum fumo induratum *fibā*, & di-
 visā *anre coquatur*, & in cibum apponatur; ut aut tu
 ipse ingrate hæres, aut posterorum tuorū aliquis *in-*
us iste nepos, (verè nepos helluo, & prodigus futurus)
olus in summis delitiis vivat, & *anseris extis*, aliisq;
 ciborum lautitiis *satur* & plenus. *Cum* in eo libido
 exardet, & ubi in coitu *vena mentulæ morosa*. & suā
 tentigine submolesta *vago*, & eandem viam sæpius
 iteranti, eunti, & redeunti *inguine singuliet*, cum
 nobili aliquā matronā rem habeat, & *patrisia vulva*
 semen genitale *immet*? Et mihi adeo tanquam *fi-*
gura

gura, & umbre, & vix ossibus ex inediā hærenti, cor-
 pus tanquam *trama*, & pannus pertenuis, quem ven-
 tus & frigus trameat, *sit reliqua*; & macie ac fame e-
 necius sum, ut tuus nepos cutim crassā, & pinguem
 benè curēt, *illi que venter* obæsus, tanquam *popa* vi-
 ctimarius hostiarum intestinis benè curatus, *omento*,
 & pinguedine *strenas*? Stultus ego, & extremè sto-
 lidus, si miserrimè vivam, ut hæredibus malis, im-
 pudētibus, ingratissimis, libidinosis, luxuriosis ingentem
 hereditatem relinquā. Adde etiam extremè avaris, &
 inexplebilibus. Et quos frustra profectò sis, si opibus
 & divitiis expleri posse credas: Quippe quibus nullę
 opes, nullę divitię satis sunt, & quibus tam deest quod
 habent, quàm quod non habēt, dum non de acqui-
 sitis, sed adquirendis cogitant, & nullum divitiarum
 acquirendarū terminum & modum sibi præfigūt.
 Nam si nullū tibi patrimoniū sufficit, quod cūq; re-
 liquū fuerit, cōsultissimū sanè mihi visum, nihil pror-
 fus bonorum tibi relinquere. Quid n. ego, tanquam
 Danaidū una, illum inexplebilem tuum animum,
 illud immensum tuum desiderium tanquam pertu-
 sū dosium, explere tentem? Tu verò age, omnes
 mundi opēs accumulare stude; negociare in omni-
 bus locis; tu emolumentis gratia per saxa, & ignes
 transi; tu *luero* vitam, *animam*, & famam tuam *ven-*
de, & periculis objecta: tu *mercere*. & ad lucrum
 prudens, *solers*, & circumspēctus *omne mundi latro*,
 extremos Indos, ultimam Thylen, *excute*. & perva-
 gare; ne scilicet *aliter* te ditior, & opulentior videat-
 ur; ne quis mangonum *præstantior*, & numerosior
sit, Cappadocus servos pingues, & benè habitos *rigida*
Ca-

Catapha, & inamœna roborea machina, in qua venales exponantur, *parvise*, & majores quæstus fecisse? Nam quando tu finem desiderii quæstus, & lucri facies, Euclio perditissime? Nimirum ubi mors tuæ vita. O sapientem illum Chrysippum Philosophum Stoicum! qui cum novam argumentandi rationem invenisset, & innumeras pænè propositiones coacervare discipulos suos docuisset; ne tamen ita in infinitum sine fructu procederetur, quomodo ad finem, & conclusionem perveniretur, adjicere voluit. Utinam eandem rationem avari vos, in colligendis pecuniis, & modo ac sine cupiditati statuendo observaretis. Quæ quidem cupiditas sine fine & modo, in infinitum evagatur. Age enim *duplicarem*, & divitias tuas: si fortè duplo divitiarum tuarum contentus sis. Sed nimirum, si animum tuum inexplebilem rectè novi, mihi respondebis: Hoc jam dudum feci: Immo res & pecunia mea jam est *triplex*: Immo jam *quarto*; Immo verò jam *decies mihi in rûgam redit*, & multiplicatur: nec tamen rei coacervandæ finem invenio. Quare tu o *Chryssippe* Philosophæ Stoice, Dialectice celeberrime, qui tandem Syllogismi *ruicervalis*, & Soritis *finitor inventus* es, & docuisti, quomodo illius Syllogismi propositiones concludendæ, ejus quæstionibus infinitis respondendum sit, & in qua quæstione acquiescendum; Tu etiam mihi avaro, & inexplebili *depinge*, ostende, & designa, quis divitiarum modus sit, quis finis cupiditati statuendus, & *ubi*, vel in quo divitiarum loco inventus, demum *sistam*, pedem figam, & quiescam.

Argentina, 16. Cal. Dybris. Anno 1594.

F I N I S.